





DISSERTATIO MEDICA,  
DE  
**HYPOTHON-  
DRIACO-HYSTE-  
RICO MALO,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO  
WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE,  
&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. D. ET PROFESSORIS PUBLICI ORDINARIJ,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni ob-  
servantia cultu prosequendi,*

Publice ventilandam proponit

**MICHAEL ALBERTI,**  
Noribergensis

*Ad d. April. MDCC. III.*

Horis antemeridianis.

---

RECUSA HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1708.

DISSERTATIO MEDICA

DE

HYPOTHON-  
DRIACO-HYSTE-  
RICO MALO.

Quam

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICO  
WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS  
BRANNBURGICI HEREDI

CRASSIO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNSTI STAHLII  
M.D. ET PROFESSORIS PUBLICI ORDINARI

Dr. Patroni & Praeceptoris sui omni ob.

MICHAEL ALBERTI

M.D.C.C.IV

Licentia Christiani Hanckelii, Acid Typographicus







## PROOEMIUM.



**Q**uod Hippocrates Medicum phyticum esse, imo Philosophum, jubeat, ut nemo intellexerit, quasi Ars ad meras theorias, imo *μικρολογίας* revocanda sit: sed solum per constitutionum corporearum, è Phificis, & nexûs causarum, è Philosophicis, applicationem, illustranda, discernenda atque distinguenda: Ita certe non solum tractatio artis juxta hanc methodum, longe plurimum usus ac emolumentum *προς τὸ εὖ εἶναι*, apportat: sed revera, si res vel leviter recte æstimentur, absolute ad *τὸ εἶναι* Medici seu rationalis Medicinæ, requiritur. Manifestissima est res in Pathologia; quandoquidem ibi sine notitia numeri, nexus, situs, texturæ, partium: sine scientia usus atque efficaciarum earundem: sine intellectu mutue proportionis organorum & motuum ad certos effectus, corporis conservationi vel necessarios, vel ad minimum utiles: sine his, inquam, rebus, quid Pathologiæ recte consuli possit, malim cuilibet a priori perpendendum atque colligendum relinquere, quam à posteriori, exemplis atque documentis in ipsa nostra doctrina Pathologi-



ca vulgata monstrare. Illud dicere invidiæ spero non fuerit, quod, quicquid in illa perplexum, hodieque est atque restitit: (quantum ejus sit, recordabuntur, quicunque praxin Clinicam solertius, vel eminus contemplantur) horum subsidiorum neglectu, aut hinc inde defectu subnitatur atque sustentetur. Physica consideratio hujus loci, ad Pathologiam inquam faciens & conspirans, est vera atque solida Historia, non solum partium & actionum in statu f. n. sed etiam constitutionum & alterationum in statu p. n. i. e. vera, circumspecta, imo curiosa, & observatio, & collectio illarum circumstantiarum, quæ singulis morbis revera essentialiter accidunt. Tanto magis vero comparatio & justa pensitatio proportionis, quæ non solum in genere ad partes & actiones habent: sed etiam qualem inter se reciproce exerunt, ita, ut sub certo gradu v. g. unius circumstantiæ, alia proportionate ipsa quoque certum aliquem gradum servet: si vero altera illa aliter se habeat, etiam alia proportionatam diversam indolem tunc præ sese ferat. Sicut etiam non exiguum operæ pretium est, speciales tales *συζυγίας* reciprocas, certorum inter se mutuo phænomenon aut symptomatum attendisse. Tali demum considerandi methodo quicquid non obtinetur, id certe aliis viis impetratum iri merito diffido. Ne nimis generaliter in universam pathologiæ medicæ extensionem me diffundam, placet in uno aliquo sanè minus sufficienter dictum atque deductum mihi videatur; & quid vel moneri, vel suppleri in hac materia, non injustum, & integrum esse opiner. Ubi nempe ita mecum reputo, quod etiam annotationes difficultatum illarum, quæ alicujus rei contemplationem morantur & implicant, illum usum habere possint, ut si vel maxime



xime ego ipse illis non undiquaque satisfecerim, habeat tamen, quisquis harum rerum curiosior est, quomodo talibus circumstantiis, imo scopis artis, melius satisfacere, aut sane pro lubitu vires suas pro illo scopo exercere queat. Proposui vero mihi nec eos studii mei experiri in consideratione famosi illius MALI HYPOCHONDRIACI; imo, ut appellare non inconvenienter complures hodie solent, HYPOCHONDRIACO-HYSTERICI. Cujus πολύμορφον tam subjectorum, quæ vexat, quam symptomatum atque passionum, quibus hæc partes exercet, genium, quomodo ad unum aliquem fontem atque originem reducere, suffragante circumstantiarum omnium conspiratione, liceat, dispicere, summa nostri laboris erit.

DEUM vero humillimè imploro, velit mentem animumque, tam ad ingenue atque liberaliter indagandam, quam feliciter impetrandam veritatem, sufficiente perspicacitate instruere atque adjuvare.

CAPUT I.  
DE NOMINE MALI HYPOCHONDRIACI.

**N**ON equidem in animum inducimus, Historiam appellationum hujus affectus, scrupulosè conquirere, aut prolixiores esse circa nominis antiquitatem; cum in hoc negotio prolixius jam pridem versati sint Viri in talibus rebus solertissimi, *Sennerti, Conringii* & qui horum vestigia secuti sunt, quacunque fide (qualem ex certis respectibus uni vel alteri suspectam reddere, non obscure apparuit imprimis ipse *Sennertus*.) Suffecerit autem illud delibasse, quod quidem, hujus, uno



complexu ita sumpti atque comprehensi affectu, nomine quoque hoc, *Mali Hypochondriaci*, insigniendi, præcipuus author quidem fuisse compareat Celeberrimus Senner- tus: cæterum hujus ipsius appellationis occasionem, non magis confessione, quam provocatione atque incul- catione sua, arripuerit ex ipsis Hippocatricis monitis ac animadversionibus, ubi non una mentio passionum τῶν ὑπὸ τῶν χολερῶν μορίων, observari atque réperiri solet.

Quemadmodum autem hujus appellationis ratio, ita satis liquere potest, cum ipse sensus testetur de hujusmo- di partium, in his maxime locis, passione; visa tamen est res, imprimis veterum studiosioribus, velut indignior, quod Hippocrates de tali tam *familiari* malo nihil, quod ajunt, ex professo, tractaverit. Unde aliqui inducti sunt credere, quasi affectus hic ab Hippocrate descriptus sit sub nomine *Ilei Hematicis*: quamvis illam descriptionem alii malint ad *Scorbutum* referre. Iterum, neque quidem sine probabili ratione agnoverunt hunc affectum in *Ma- gnis Splenibus* Hippocratis: tanto magis, cum etiam po- sterioribus ævis, frequentior memoria manserit, tam vi- tiorum quam remediorum, *splenicorum*.

Cum vero sub *Hypochondriaci Mali* nomine, plurium in hac regione partium, quam solius *splenis* passiones & imprimis harum *conspiraciones* atque mutuos consensus deprehenderent posteriores, maluerunt generaliore[m] etiam hanc appellationem sequi, & *Hypochondriaci Mali* nomine illud, quod variis hinc inde partibus in hac regio- ne commune ac familiare est, designare.

Sanè vero *Ileum Hematiten* non fuisse, illud quod au- thores recentioris appellationis intellectum volunt, dilu- cescere potest ex illis præcipue duabus primariis circum- stantiis, primò, quod à suo *Ileo Hematite*, Hippocrates plu-



plures turbas atque noxas circa corpus *externum* denūciat, quam in *Hypochondriaco* non occurrant. Secundo, quod cum *annis*, non solum *gravio*rem atque in pejus ruentem istum depingat; sed etiam magis magisque immedicabilem faciat: Cum verum *Hypochondriacum* Malum, non solum per ætatem minuatur, ac in alia potius *schemata* transmigret: sed etiam minimè solenniter, circumstantias illas ab Hippocrate denotatas offerat & exhibeat.

Sub *magnorum Splenum* nomine aliquid hujus Mali & fensisse, & indigitasse, meliore jure videri queat; sed potest rem dubiam reddere, quod adeo parcam, & veluti fugitivam solum hujus rei mentionem faciat. Nisi quidem fortassis excipiendum videatur, quod hujus Mali, tantum tempore, quam habitatione atque locis, quibus Hippocrates vixit, minus familiaris proventus extiterit.

Quæ quidem animadvertio revera circa plura negotia tam *indolis*, quam *frequentia* morborum, considerationem mereri potest; quales nempe sese gesserint & ipsi morbi, & *proventus* illorum, in illis *climatribus*, illis *temporibus*, atque *vite rationibus*, quæ viventi Hippocrati, aliisque ejus commentatoribus, *Græcis*, *Latinis*, *Hispanis*, *Eusitanis*, obtigerunt: aut *Arabibus* Medicinæ Commentatoribus, familiaria fuerunt. A quibus ad nostra *climata*, *alimento*, *mores*, merito proportionem aliquam institueri deberemus, & non nudam applicationem in terminis, suscipere aut sectari.

Sicut itaque *nomen* Affectus Hypochondriaci, *Mali Hypochondriaci*, hodie post Sennertum & Martinum, admodum usu approbatum est: ita operæ utique pretium est intelligere, quid nam sub hoc nomine proprie intelligatur, atque illo denotetur. Erit itaque huius rei sequens



quens descriptio. AFFECTVS HYPOCHONDRIACVS est Syndrome Syntomatum gravativorum, tensivorum, imo interdum etiam acerbius dolentium, sine formali febre, aut alio constanti peculiari typo, sepe tamen & multum patientem infestans; appetitum turbans magis, aut pervertens, quam sustollens, eque atque alvi officium: flatibus modo detentis, modo prorumpentibus, stipata, angustias imo vagas anxietates, patienti suscitans: quiete, imprimis sedentaria, & improvidis refrigerationibus, ingravescens: cum tempestatum mutationibus imprimis humido frigidis, & diæta non magis turbida, qua nimium scrupulosa, increbescens: chronicum, & contumax, & rebelle, Malum: in sinistro præcipue magis familiariter, quam dextro latere, sese exferere solitum: vel ipsis etiam præcordiis, imo in dextro latere, sed vagis magis, quam stabilibus pathematibus, molestum.

CAPUT II.

HISTORIA AFFECTUS EXQUISITIOR.

**M**ALO HYPOCHONDRIACO qui laborant, ingenere sedem & fundum querelarum suarum non digito magis, quam tota manu monstrant, immediate sub costis deorsum, nempe tam sub scrobiculo cordis, quam in sinistro cumprimis latere, aut, utroque hoc loco conjunctim, aut inter utrumque, vagantibus molestiis.

Incommoda ipsa, quæ sentiunt, deque ipsis conquirentur, sunt imprimis angustia quædam, plus minus sensibilis; aliquando plane jejuno ventriculo; præsertim in edacioribus: in aliis post cibos, & quidem aliquando una vel altera demum hora præterlapla: aliquando etiam sub  
 pastu



*pastu*, vt veluti resistentia quædam contra uberio- rem assumptionem, confurgat: vel rependina aliqua *satietas* co- oriatur: sub quibus tamen omnibus rebus, ut plurimum *appetitus* non *bonus* solum est, sed *avidus* omnino: aut ad summum, & rarius quidem, inconstans & *vagus*.

Communiter *bibunt parcius*; amant etiam ferè, aut usurpant ad minimum, fercula *sicciora*, & concoctu plane difficiliora: imo *frigidula* potius, quam calida.

*Ructibus* expositi sunt, imprimis sub *pastu*; aut serò demum post *pastum*: qui posteriores antequam erumpant, præcipue in præcordiis illos infestant.

Faciunt autem hoc *tendendo*, *premendo*, *murmurando*, *angustando*; *respirationis* ipsius liberam facilitatem reprimendo; adeoque nesciis unde, & quid proprie ipsis male sit, etiam *anxietates* oriuntur. Imo, quamvis leviores, & magis gravativæ, neque nisi sub profundiore prona inclinatione turbulentæ aut rotatiles, *vertigines*.

Est insuper hisce ægris perquam familiaris, valde molestus quidam *dolor*, *dendens*, *premens*, imo veluti *contusorius*, in infimo occipite circa processus illos mamillares: qui inprimis capitis quibuscunque concussionibus, imò etiam universi corporis, & consequenter pulsus, repentina agitatione, cum insigni *augmento pulsarili* increbescit: Sola tamen *quietate*, aut aliquali partis dolentis, aut arteriarum circa ipsam, compressione non nihil mitescit. Exacerbatur hic etiam alias facile, per *refrigerationem* actua- lem *præcordiorum*, præsertim si reliquum corp9 quantum- cunque caleat.

Concurrit autem cum vtraque hac perturbatione *capitis*, velut ordinarie, sensibilis aliqua molestia circa *ventriculū*; modo *nauseabunda*, ad minimū per transitorios quos- dam breves insultus: aut ita *tensorius gravatius*, *sensus*, ut

B

male



male sibi esse ad minimum, sentiant aut querantur patientes: quamvis hoc etiam incommodi, brevibus incurfibus subinde moleftum esse contingat. Imo vero, nihil infolitum est, uno horæ quadrante ita *nauseare*, ut in procinctu esse videatur vomitus: Proximo vero veluti momento, non solum aliquid esculenti tolerare posse, sed etiam cum appetitu aflumere.

Quid, quod hoc affectu laborantibus, *appetitus* non solum rarissime deficiat; sed etiam communissime justo plenior atque auctior *obtingat*. Unde quidem vel inter signa hujus mali numerare licet, quod ejusmodi patientes, quantumcunque etiam de reliquo quiritentur, nihilominus de *appetitus* defectu interrogati, tunc vel plane ignorent vel potiori temporis parte, istum satis constantem, imo vegetum esse, fateantur: vel denique ad aliqua certa edulia ita inclinent, ut, licet aliorum minus cupidi sint, illa tamen specialiora, si nancisci possint, avito quoque & abunde ingurgitent.

Oportet autem hoc loco omnino necessariam mentionem facere, *diversi* cujusdam affectus, qui hominibus *duriori* victui assuetis aliquando evenire observatur; imò veluti certo ipsis obtingit, qui magis immediate ab ista *duriori* diæta, ad *molles* atque mucescentes cibos transitum faciunt. Hi enim utriusque serius ocyus, observantur in ejusmodi ventriculi *atoniam* prolabi, ut non solum *fastidio* quodam ciborum corripiantur; sed etiam varia *flatulenta*, *tensiva gravativa*, *nauseabunda*, imò *vomibunda*, pathemata inde incurrant. Qui etiam nullis delicatis *aromaticis*, *tonicis* stomachalibus restituntur; sed, post convenientia abstergentia, magis *marialibus*, & antiqua *salutarum* carnium, *fumo* induratarum, *brassicarum*, *Synapios*, *armoracise*, *panis* fecalini *nigri* atque fortiter *fermentati*, cerevisiæ  
quo-



quoque bene lupulata, imo modico pro re nata *spirituum ardentium*, usu. Qui vero ita affecti sunt, illos pro *Hypochondriacis* habere non convenit. Possunt tamen sensim in hanc classem prolabi, si diutius duret incommodum, sine diætæ mutatione in duriorum, & reliquum vitæ genus, *sedentarium*, & speculativum, una cum *potus* iusto *minore* usu, subjungatur.

Illo vero adhuc differentia sic affectos, non modo distinguere, sed etiam diutius diffinere solet à virorum hypochondriacorum indole, quod ipsis quidem *alvus* familiariter *lubrica* sit, quæ *hypochondriacis* sicciior atque *segnior* esse solet.

Illos autem, qui supra dicta ratione *vere Hypochondriacis* ejusmodi pathematibus exercentur, sicut ad *siccitatem* alvi & obstructions specialiter proclives sunt; ita sub his incommodis, etiam reliqua illa sua mala atque molestias, acerbiora hoc tempore experiuntur: mitiora vero, quando *siccitas* illa aut obstructions, sive sponte tandem definunt, sive arte (in primis *Clysterum* usu) sublevantur.

*Exacerbatio* horum univerforum pathematum progreditur interdum ad *animi* usque *perturbationes* insignet; neque tamen adeo frequentissimas, neque stabiles: alias enim jam specialiori nomine *Melancholiæ* notatur: licet ipsius quoque *Hypochondriacæ*.

Quo magis ad *nauseam* non solum vomibundam, sed etiam actuales vomendi conatus, progrediuntur hæc pathemata, eo major est metus molientis *Vomitibus* *cruentis*: Quamvis hic revera rarior sit apud sexum *virilem*; sed familiarior apud *femininum*. Semper tamen pejus est, obstinatis *vacuis conatibus* angipatientes, quam *evomere* utique: in primis si post factam talem exonerationem vomitus



iterum conquiescat, neque ultra modum pertinaciter insistat.

Nec etiam absolutum hujus mali symptoma æque est, ed tamen utique huic imprimis *Malo familiare, inflatio* talis, cum *dolore*, interdum satis gravi, *sinistrum* Hypochondrium occupans: nec ille *dolor* brevis aut transitorius solum est, paucarum horarum, cum *stadius* fortè manifestioribus conjunctas, aut conspirans, adeoq; his prorumpentibus, faceffens, aut longe plurimum ad minimum *remittens*, & sensim plane cedens: sicut etiam non æque cum *alvi* siccitate aut adstrictione, conjunctus; eaque in libertatem restituta *desistens*: sed *durabilis* atque pertinaciter resistens, ad duos tres *dies*, cū insigni duritie, imo figuræ quoque oblongæ & fastigiata, ipsi tactui occurrente sensu: *persistens* etiam, & sine ulla quidem sensibili sublevatione quantumvis *abus* satis libere *succedat*: imo ne quidem mox post *alvi* expeditionem sensibilibiter fortè *conquiescens*, & posthac demum denud increbescens; sed *jugo* atq; perrenni angustia atque rigore affligens. Nihil etiam *tormentosum*, sed potius *lancinans* exquisiti sensus plurimum, exprimens.

Qui plus, hoc imprimis dolore, affliguntur ægri, non ita rarissime tandem incurrunt hujus *inflationis*, duræ penitus, *statariam* denique & constantem durationem; Ita ut *coctis* non tam duritie sola, quam quarantenus etiam *figura*, tactui sese sistant: ægris interim varium *coloris* ex fulvo nigricantis atque lutulenti squalorem incurrentibus & sensim vel ad *cachexiam*, vel ad *tabidam* extenuationem corporis, prolabantibus: aut inferius quidem *tumores*, superius autem *extenuationes*, subeuntibus.

Experimenta ipsa in corporibus demortuorum instituta, pl9 semel testatum fecerunt, quo *lienis* vitia hæc fuerint,



rint, jam & inflati & indurati, jam ad minimum alterutrum  
passi.

Neque verò veriùs Hypochondriacis insolita est Coli-  
ca passio, aut ad minimum *terminosa* & mitiora, & frequen-  
tiora, quam strictè dicta Colica esse solent pathemata.

Quæ vero sub *dextro* Hypochondrio ægri per senti-  
scunt, tam *tensionum*, quam interdum *lancinationum*, sym-  
ptomata, communiter & rarius obtingunt, & ming obsti-  
natè insistant: interim illud magis peculiare habent, ut  
*volaticos ardores* non tam universi corporis, quam in pri-  
mis *capitis*, imò veluti plane peculiariter *faciei*, cum hujus  
etiam ita volatico & transitorio *rubore*, post se trahant.

Adèd familiare Hypochondriacis, ut etiam inter hu-  
jus mali *essentialia* symptomata connumerari mereatur,  
pathema, est *Palpitatio cordis*: gradu tamen hinc inde va-  
rians. Alicubi enim exquisite infestat patientes, ita, ut et-  
iam veluti *propriis* i. e. inter reliqua tolerabiliora incom-  
moda *eminentibus*, insultibus, graviter ipsos exerceat: ali-  
bi vero tantum cum reliquis gravius urgentibus sympto-  
matibus concurrat.

*Pulsationes palpitatoriæ* etiam in ipso *abdomine*, aliquando  
in epigastrica regione, aliquando secundum longitudi-  
nem spinæ dorsi, magis tamè à summa lumborum verte-  
bra deorsum, quam adhuc altiøre termino, apud unum  
aut alterum Hypochondriacum observantur. Sed præci-  
pue talibus temporibus, quibus aut conspicua quædam  
*flatulenta* inflatio confurgit, aut *spastica* aliqua compres-  
sio atque strictura in intimioribus abdominis recessibus,  
sensibili quadam exacerbatione, sese exerit.

Sicuti de vagabundo *appetitus* motu, jam mentionem  
fecimus, determinatione tamen illa adhibita, quod com-  
munius *vegeto*, imo quadantenus *abundante*, instructi ob-



servari soleant hujusmodi patientes; aut ad *certi generis* dapes magis ferantur, atque inclinent: Ita illud etiam, quod de *alvi* vario successu innuimus, eadem diversitate niti solet, ut videlicet aliquando *fluxu* quodam aut lubricitate afficiantur, aliquando e contra *siccitate* ac *adstrictione* ejusdem laborent. Utraque tamen hæc circumstantia, ordinariè, & extra singulares totius mali exacerbationes, magis vergit, ad *appetitus* quidem *vigorem*, & *alvi siccioris* rigorem: sub exacerbationibus autem demum, aut *appetitus*, langveat ac deficiat, imò nausea subvertatur, aut alvi successus in profusiones atque *fluxus* importunus prorumpat, aut *spasticam stricturem* subeat.

Imò, tanta solet esse illa alvi pertinacia, ut vel *stimulantibus* purgantibus non obediat: sed illa potius aut plane otiosa aspernetur: aut  *torminosis*, *statuosis*, & *anxiis* tentaminibus, varias turbas exhibeat, quam ad speratum effectum commode pertingat. Interim plurimum hic possunt *Clysteres*, quod ipsum etiam non caret speciali consideratione: tantò magis, si illa vera differentia attendatur, quod *clysteres* recte administrati, commodo imò utili effectu hic nunquam desistantur, *purgantia* vero quam sapissimè.

Imò, tantam considerationem meretur hæc circumstantia in *exacerbationibus*, hujus mali, ut *purgationes* quidem ibi familiarissime *incipites* sint; *Clysteres* certissime utiles.

Hæ quidem præcipuæ sunt *Hypochondriaci Mali* circumstantiæ, quatenus illud *utrique sexui* commune, sub hoc etiam nomine usitatius utrinque notari suevit. Communiter autem *acerbius* sese exserit in *sequiore* sexu, tam *statulentis* illis *pressoriis*, *distensoriis* quam *spasticis compressoriis*



*foris, constrictoriis, angustatoris, suffocatoriis, effectibus, torminibus, nausea, vomitibus, aut vomenti comaribus.*

Solet sub hoc schemate in hoc sexu *Hysterici Mali* appellatione salutari; quod quidem rectissime, *Hghmorus* æque atque *Willisus*, nihil aliud, maxima Symptomatum parte, quam *Hypochondriacum* esse, jam pridem contendunt: Interim quod *uterina, menstrua* laborans, evacuatio huic Malo, in hoc Sexu, longe majorem *frequentiam* exhibeat atque conciliet, nos quam maxime consentimus.

Sed nondum hic est locus, *rationes* tractare; illud vero ad *Historiam* utique petinet, quod *feminae*, quamdiu verè *Hysteris* suis negotiis fluxus *albi, partuum, Lochiorum, abortuum, molarum, cupiditatum* carnalium &c. vitiis nullis obnoxia vivunt, etiam *Hypochondriacis*, aut *Hystericis*, passionibus nullis infestentur: aut ad minimum non nisi illis, quæ cum *virili sexu* ipsis convenire possint. Simulatq; vero illa *uterina* vitia ipsis ingruunt, tunc his quoque universis *Hypochondriacis* passionibus, & *fortius* quidem quam viri, subjici incipiunt.

Neque illud etiam sub *Historia* horum malorum reticendum venit, quod ad *provocandum*, inprimis jamjam insolescens hoc malum, longe primum possint *Animi pathemata* vehementia, *iracundia, terror, concupiscentia, nausea*. Cujus quidem rei familiariora specimina occurrant in *feminino* sexu: interim revera vix quicquam horum est quod non *mores* etiam *Hypochondriacos* sensibilibiter afficiat, quoties illo vehementius percelluntur. Ad *nauseam* vero referimus illorum, ut *Germani* loquuntur, *subdulcium* seu *mollium* odorum, *Mofchi, Ziberbi, Ambræ, Rosarum* &c. effectus: aut *pinguium, fuliginum* & *fumorum* efficaciam, *ellyphniorum suffocatorum, sebi & anxingiarum* in carbones effusorum *fumos* &c.

Sicut



Sicut autem jam supra mentionem fecimus *capitis dolorum*, qui hujusmodi patientibus familiares sunt; ita de *fœminino* sexu hoc præcipue valet; ut dolor capitis sub eijusmodi *Hypochondriacis* seu *Hystericis* exacerbationibus, fœminis peculiariter & familiarior, & *seuior* obtingat. Imo vero valde familiariter magis *hemicranicus*, quam uniuersum caput occupans, eveniat: quamvis hoc posterius frequentius vel jam *annosioribus* fœminis, aut cum ipso hoc malo jam diutius conflictatis, obtingat.

Magna vero etiam ratio habenda venit, inprimis in *fœminino* sexu, *Hæreditariæ* dispositionis: quam quidem pro hoc malo inducendo, æque, atque sub aliis concurrētibus causis, *incitando*, immensum quantum valere, quotidiana experientia testatur.

Inter *Symptomata* Hypochondriacorum omittere non decet multam *sputationem*; quam alii *jejuno* stomacho, alii *post pastum* magis infestam sentiunt. Aliqui etiam, sub *statoriis* Mali *exacerbationibus*, manè postquam surrexerunt, tanta molestia inde afficiuntur, ut ad *conatus vomendi* usque progrediatur, quibus nihil nisi aliquid *mucidi sputi* è faucibus excutiunt. De reliquo *nares* comunius habent *sicciores*, quam humidiores.

*Somnus*; cæteris paribus, non ita notabiliter turbulentus ipsis obtingit, aut deficit; facilius autem fit, ut evigilantes, vel *staiibus* ad angustias aliquas adigantur: vel *palpitationibus cordis*, cum *anxietate* aliqua fugitiva tententur. A *breuiore* vero somno, ferè ordinarie paulo magis incommodè habent.

Neque vero negligendi sunt illi affectus, quibus *Hypochondriaci*, tanquam gravioribus sive accidentibus, sive succedentibus & eventibus sui morbi, expositi esse observantur.

Sunt



Sunt vero tales affectus, imò morbi novi, Hypochondriaco Malo *accedentes febres intermittentes*, non solum *Tertiana*, sed etiam *Quartana*; quando gravioribus pathematibus jugiter affecti, imò exhausti sunt, tandem *Hectica*, aut ad minimum *lente* pertinaciores. *Icterus* junioribus, *simplex*: annosioribus, aut graviter diu multumque exhaustis, *niger*: *Scirrhusse* indurationes, imprimis in *sinistro* Hypochondrio. *Tympanitici* & *ascitici* tumores; Tumores tum *oedematosi*, utriusque pedis, tum *duri rigidi*, *rubro-lividi*, alterutrius, imprimis autem *sinistri* cruris: *Varices* crurum.

Famola quoque est *Melancholia* Hypochondriaca, *timida*, *taciturna*, *speculabunda*, *trepida* & *anxia*, *desperabunda*, *εὐτόξεη*. Ubi tamen notanda est etiam nudis adhuc Hypochondriacis, par, sed gradu solum levior, *melancholias*, *sollicitudo* *mestitiae* *prompitudine*, *solitudinis* amor, *suspiciæ* *genius*.

*Hemorrhoides* Hypochondriacis non raro obtingunt; imprimis autem jam *annosioribus*: & quidem tunc maxime constantiores: & quo *constantius* deinde revertuntur, eo certius reliquorum symptomatum syndrome placatur. Imò vero *Hemorrhoides* undecunque tandem coortæ & assuefactæ, si temere *emaneant* aut supprimantur, excitant demum pathemata vel *Hypochondriaca*, quam diu mitius agunt: vel ultimo loco dicta illa pejora *confectaria* tanquam ultimam atque gravissimam hujus mali catastrophem.

Præcipue verò notari omni modo meretur, quod hoc malum imprimis *juniori* adhuc ætati evenire soleat; *annosiori*, & præcipue jam *seniori*, longe minus: imò vero, cum hac specialissima differentia, ut in *junioribus* quidem, per notabile tempus, imò plusculos annos, me-

C

diocri-



diocri, tolerabili incommodo atque molestia, vigeat: in *annosioribus* autem, longe certius atque *citius*, ad graviora illa *postrema* in hoc genere mala atque, incommoda, transeat; sive *capitis* atque *pectoris* graviora pathemata, *catarrhalia* atque *suffocativa*: sive *Lienis*, *colicæ*, *mictus cruenti*, aut *Nephritidis*, & *Hæmorrhoidum* varia turbulenta pathemata atque molimina parturiant: imo vero, vicissim e talium aliunde quadantenus assuefactorum pathematum, devio motu aut successu, demum originem sumat hujus pathematis Hypochondriaci infidum schema.

[Hæ itaque sunt præcipuæ conditiones atque circumstantiæ *Affectus Hypochondriaci*, è quibus de indole ejus speculati necessitas postulat; ita ut nempe, ut speculationes illæ nostræ quadrent & *singulis*, & *omnibus* hisce circumstantiis: adeoque etiam causarum mutuus consensus atque nexus deprehendi possit, quemadmodum effectus, nempe ipsorum pathematum, *mutua explicatio* atque conspiratio observatur.

CAPUT III.

PARTIUM HYPOCHONDRIACIS INSULTIBUS IMPRIMIS EXPOSITARUM CONSIDERATIO.

UT Theoriæ è practicis, nempe *historicis*, observationibus conquirendæ, justo ordine satisfieri possit, è re nostra fore ducimus, vt semper à magis practicis adhuc, *sensibilibus*, inquam, circumstantiis incipiendo, illinc demum ad abstrusiores deprehendendas progrediamur.

Summo itaque jure initium facimus à consideratione

ne



ne illa, *quenam* imprimis *partes* in nostro affectu laberent; Cui subjiçiemus proximam illam disquisitionem, *quonam* primario veluti *genere passionis*, hoc malum sese exferat: Ita speramus, velut è præmissis talibus, paulò clariùs ad conclusionem, de vera hujus Mali indole, secundùm omnes sui partes, progressum facere integrum fore.

Distribuemus tamen etiam hujus præsentis capituli propositum, in eum ordinem, ut *historia*, sive realibus circumstantiis utamur, pro eliciendis illis documentis, quibus ipsam veritatem, quænam partes maxime pati soleant, adstruamus.

*Ventriculum* plurimum in hoc affectu incommode habere, commonstrant 1) *appetitus* à communi tramine aberratio; 2) *sensibilitas* ejusdem; ut modo *constrictione* quadam, modo *laxitate*, modo vomitoriis *concussionibus*, res molestiores sibi obtrusas, aut externas quasdam alterationes, excutere, aggrediatur. 3) Insolitæ quædam alterationes assumptorum, velin *vappam*, & *olidam* corruptelam, vel in *acidam* valdè consistentiam, quæ vomitu excussa, fauces adurat, dentes stupefaciat. 4) frequentior insolita diuturna *detentio*, ad minimum certorum quorundam ciborum; ita ut vel sex, septem, horis post assumptionem, adhuc *olidi ructus* nidorem illorum ciborum referentes assurgant. 5) tandem rudioribus insultibus vomitoriis, pertinacibus imprimis, actualis *vomitio cruenta*.

*Singultuosas* concussiones abdominis, derivant quidem communiter ab orificio sinistro ventriculi, & hinc consensu *diaphragmatis*; & potest etiam locum habere hæc hypothesis, in vero nudo singultu, quem proinde temerè coortum, vel haustu aliquo largiusculo potulen-



to iterum supprimi videmus, nempe relaxata illa *strictura*, quæ oriñcium ventriculi fortiùs cõhibens, diaphragmati quoque ansam talis concussorii & elisorii motu præbuerat: Sed dispar est vehementior illa *succusso* magis, quam nuda *concusso*, quæ *fœminis* præsertim, gravius hoc morbo correptis, evenit, ab umbilico *sursum* ad præcordia tendens, concurrente etiam ipsius umbilici subinde profunda retractione. Imò, cum etiam hoc sensibilis quædam *compressio* velut in *medullio abdominis* comitetur; quod exprimunt, *non aliter sibi videri, ac si quis duobus manibus in illo comprehensa intima viscera comprimens*, atque detinens, eo ipso & anhelitum, & vocem ipsis eriperet: videtur hinc tanto magis apparere, quod potius ipsius *Mesenterii*, aut intestini *duodeni* hoc sit pathema. Imprimis, cum sub hoc etiam molestiore insultu, *ructus* superveniens ac erumpens, patientem sublevare observetur.

*Mesenterium* quidem in hoc morbo maximopere laborare, non tam æque in propria sua *tunicacea* structura, quam in *glandulis* potissimum autem *vasibus sanguiferis*, communissima omnium est sententia; Veteres quidem copiosum infarctum *crassi*, (*Melancholicum* vocant:) *sanguinis*, & inde *distensiones* varias incusant; Recentiores *obstructiones* horum vasorum insimulant. Illud testatur experientia, quod in hujusmodi patientium cadaveribus quoque, plus semel reperti sint *rami Mesaraei* valde *crassi*, adeo quidem ut non desint, qui ad *intestinelorum* similitudinem turgida vidisse volunt: Imprimis verò *Hemorrhoidales* ramos, qualem *pollicis*, crassitie distentum memorat *Vesalius*: *Guarimonius* tamen se sæpe numero in *Hypochondriacis*, *venas Mesenterii obstructas* adeo distentas reperiisse asserit, ut *intestinelorum* potius quam *venarum* speciem, præ sese tulerint. Imò



Imò verò, has venas in *Malo Hypochondriaco* præcipuam sedem *causæ* constitutere, varia comprobant specia-  
lius, generaliter tamen illud, quod non solum viscera  
de hac præcipuè *vena* participantia, *Hypochondriacis* pa-  
thematibus imprimis exagitentur; sed etiam variæ eru-  
ptiones ex hac *vena*, per *ventriculum*, *intestina*, *intestinum*  
*rectum*, *uterum* in mulieribus, pathematibus Hypochon-  
driacis succedant, intercurrant, aut reciproce illis occa-  
sionem præbeant, atque viam sternant.

*Intestina* in hoc *Malo* ægre habere, testantur, tum  
*status*, sursum deorsum tendentes, talibus ægris pleris-  
que familiares; tum *terminosi* motus, satis multis horum,  
imprimis autem foeminis, infesti: Ad quos etiam perti-  
net *alvi*, nempe *intestini recti*, vera atque *positiva* talis  
*constrictio*, *mulieribus* imprimis obtingens: ut non solum  
nulla *emissio* fecum, sed vix *admissio* tubuli clysmatici,  
multò minus liquoris injiciendi, locum inveniat. Sic-  
ut etiam semper levamen persentiscunt patientes, quo-  
ties lenientibus *Clysteribus*, hæc contumax intestinorum  
stricturna lenitur, & imprimis *status* una educuntur, adeo-  
que *Intestinorum* hæc pathemate pluribus modis atque viis  
sublevantur.

*Lieni*, tam ab antiquis temporibus, quam nostris ad-  
huc hodiernis, plurimum hic imputatur. *Germana* qui-  
dem natio, adeo huic rei hodieque inhæret, ut constanter  
universum hoc malum à *Liene* denominet; Speciatim au-  
tem illum imprimis dolorem, quem in *sinistro* latere sub-  
inde persentiscunt ægri, *Lieni* imputet: unde vocabula  
*Milz Krankheit*, *Milz Beschwerung*, *Milz Weh*,  
*Milz Stechen*, *Aufblähung der Milz*.

Sane vero valet hic etiam antiquum illud: *interdum*  
*populus rectum videt, est ubi peccat*. Dolores enim in regione



Hypochondriaca *sinistra*, alie sub costis, non *antrorsum* versus scrobiculum cordis, sed *retrorsum*, in lumbari regione, non *infra* costas *nothas*, sed directe *introrsum* sub costis *nothis*: *Clysteribus*, constante etiam, aut quomodo-cunque superveniente, aut provocato, *alvi successu*, parum, quia nihil mitescentes, interim, sub alvi successibus, per duos tres dies constanter durantes atque continuantes; hominibus *Colica* sæpe multumque infestatis, imo ipsis Hypochondriacis *Colicæ* obnoxiiis, plerisque vel plene non vel rarius obtingentes: ibi etiam, ubi sese exserunt, citrà ulla *colica* reliqua pathemata patientem obidentes: In *fæminis* cum *Menstruo* tempore recurantes; Inflationem non solum *oblongam*, sed etiam *fastigatam* *coris* instar, formantes; non raro perpetuam istius quoque hujusmodi *figure* constantia servata: apud non ita paucas fœminas in *vomitum cruentum* erumpentes: post mortem *inflatos*, *induratos*, *Lienes* post se relinquentes; Hi tales, inquam, dolores, an vero similis *colo* ita affecto, an vero *Lieni*, in acceptis ferri mereantur, dispiciat, qui potest *judicare* potius, quam *relata* referre.

*Hepatis* directe ex *Hypochondriaco* malo, fere rariora occurrunt pathemata. *Inflammationes* enim ejus, & febres inde nascentes, *Icterus* etiam, quamvis utique adhuc facilius *Hypochondriacis*, quam de reliquo etiam sanis eveniant, non tamen adeo *frequenti* proventu sese offerunt, ut propterea *Hypochondriacis* *qua talibus* assignari mereantur, & inter hujus Mali, *qua talis*, symptomata, aut certa consecraria referri. Tanto minus autem ex *Hydropicis* eventibus & hos præcedere solitis *Hepatis* *oppilationibus*, de tali efficacia affectus *Hypochondriaci* *absoluti*, concludere licet; cum ex *simplici* hoc malo, nihil ejusmodi evenire observetur, sed semper magis à solitarum  
aut



aut debeatum actualium sanguinis evacuationum perturbatione, vel potius suppressione, tales eventus dependant non raro etiam *abusui* sive simultaneo, sive diurno, *adstringentium* & vulnerariorum medicamentorum, debeantur.

*Dispositos* tamen interim tanto magis ad huiusmodi pericula esse Hypochondriacos, ob perpetuam, & omnino huic Malo domesticam, *sanguinis spissitudinem*, maxime consentimus.

*Omnes* vero & *singulas* haece partes, in Hypochondriaco Malo vexari, quanquam certum sit, meretur tamen considerationem, cui harum partium *frequentius* & *gravius* insultare soleat hocce Malum? De qua re ita docet experientia, quod illis quidem, qui non aequè graviter hoc Malo vexantur, propemodum nulla adeo eminens sentatio *unum certum locum* obsideat, e qua de una aliqua parte ita laborante iudicium formari posset; interim tamen plerique horum, quicquid discreti sensus ipsis coarritur, illud magis à *scrobiculo cordis sinistrorsum* imò versus dorsum protendi commemorent; quam vel *torminosi* motibus, vel *dextro* lateri inhaerentibus, incommodis, magis certo affine sentiant.

Qui vero gravius hoc Malo exercentur, in duas classes distribui merentur; Ita ut alii *vehementioribus* insultibus, alii *contumacioribus* tantum, infestentur. *Vehementiores*, communiter magis occupant, *Intestina* & *Mesenterium*, *torminosi*, *succussatoris*, *singultuosi*, *suffocativi*, *vomibundis*, symptomatibus. Qui vero *contumaciore* solùm exacerbatione corripiuntur, illis longe familiarius eveniunt *pressori*, *tensivi*, *gravativi*, *inflatorii*, *pertinaces*, *urentes*, *pungentes*, tales dolores, *sinistro* imprimis lateri Hypochondriorum insidentes.

Ab



Ab hac itaque, *sinistri* præcipue lateris ægritudine nata est & opinio illa, quod *Splen* præ aliis partibus hic laboret, imo forte *fons* omnino sit omnium ulteriorum partematum; & appellatio Germanis imprimis familiaris *Mali spleneticæ*, pro ipso Hypochondriaco denotando.

Nos nondum determinabimus quæstionem, postquam tantisper adhuc in *historia* harum rerum versamur. Quam ut undiquaque exhauriamus, absoluta *partium*, quæ plurimum affici observantur, faciemus progressionem ad enarrationem præcipuarum *conditionum*, quæ ipsis subjectis familiares esse deprehendatur, quibus hoc malum turbas dare consuevit.

CAPUT IV.

DE

SUBJECTIS, QUÆ HOC  
MALO AFFICI CONSUEVE-  
RUNT.

**Q**uemadmodum *dispositiones* ad morbos, vel ipsi corpori intimius inhærent, vel alicunde in illud introducuntur; prius, ex ipsa quasi directa corporis *structura* æque, atque *crassi*, quod *temperamenti* nomine indigitare solent: posterius, ex *adscititiis* quibusdam malis dispositionibus, *Dietæ* imprimis inconvenientis vitio: Ita valet hoc etiam in nostro præsentè affectu; siquidem hic eadem ratione, partim certa corporis dispositione instructis familiaris est; partim certis *dietetici* regiminis anomaliis vestigia legit. Imò *medicationibus* etiam quibusdam minus rectè institutis, satis prompte succedit.

Quod



Quod itaque <sup>dicere</sup> illam corporis concernit, quæ ad *Hypochondriacum Malum* magis *disposita* deprehenditur, est hæc cum *Sanguinei* sic dicti Temperamenti, tum *Sanguineo-Melancholici*, & ipsius *Melancholici*, constitutio: ita, ut talibus demum, qui aliquo horum, ut loquuntur, *temperamentorum*, instructi sunt, familiarius eveniat hoc Malum, quam illis, qui *Pblegmaticum*, aut *cholericum* Temperamentum possidere dicuntur. Interim quicquid horum sit, si rem exactius determinare ferat animus, dicendum est, quod imprimis *Melancholici* huic Malo proximè prædispositi atque apti existant; *Sanguinei* vero Temperamenti homines, ex directa sua indole, non adeo æque huic affectui expositi sunt, bene autem, quando ascitiis minus convenientibus vivendi institutis, occasiones propiores conquirunt.

Certe enim hæc, *res* inquam *non naturales*, perperam administratæ, ut omnibus aliis morbis viam communiter sternunt, ita huic Malo *gignendo* velut, ac introducendo, longe plurimum conferunt.

Rebus *præternaturalibus* annumerant illi, qui curatius rerum suarum satagere videri volunt, *Plethoram*; in quamcunque tribum conjiciatur, illud satis certum est, quod nullum ex omnibus temperamentis ita promptè Hypochondriaco Malo locum concedat, nisi *Plethora* plus minus manifesta concurrat.

Inter *naturales* res, utique numeranda sunt, *sexus*, & *ætas*; Ex his *sexus* *fæmininus*, non solum longe familiarius, sed etiam tanto *acerbius* huic Malo expositus observatur, præ *virili*. Licet enim hic etiam omni modo huic morbo obnoxius fiat, neque tamen ita prorsus promptè, neque adeo familiariter tanta vehementia Mala hujus corripiatque infestari consuevit, quam *fæmine*.

D

De



De *Ætate* verò, habet hoc omnino locum, quod minimè cuilibet ætati pariter immineat hoc Malum; *pue- rilis* enim ætas, quam minimum huic exposita est, sicut etiam, modo reliqua sint paria. *senilis*: nec adèd, in *virili* præcipuè sexu, *adolescèntia*: magis verò *adultæ*, ab anno decimo octavo ad trigèsimum, vel circiter.

Diximus quidem modo de *virilis* sexus adolescen- tibus, quod in hac ætate non adeo æque huic Malo sub- jaceant. Si tamen rem rectè æstimare velimus, nec ipsæ quoque *puelle* adeo infestantur hoc Malo, per eosdem *adolescèntie* annos: unde quasi solenne est mulierula- rum effatum, quod juniores ad minimum, virgines, Hy- sterico Malo vix, aut certe rarius, infestari consve- rint.

*Adultæ* verò *virilis* sexus ætas, si in plèniore victu, vitæ otiosa imprimis autem sedentariæ, indulgeat, ma- ximopere exposita observatur huic Malo. *Fæmininus* sexus hac ætate, si menses rectè procedunt, vix quic- quam effatu dignum habere solet, quod de hoc Malo conqueratur: si vero menses *defectul* laborare incipiant, hæc imprimis ætas, gravissimis hujus generis pathema- tibus obnoxia fieri solet.

Tantò magis autem inter fæminas jam provectior *juvenilis* ætas à triginta ad *quadraginta*, imò *quinquaginta*, annos, huic Malo exposita est, quando *mensum* vitia, gestationes infantum, purgamina *lochialia*, defectu suo œconomiam corporis turbant. In tali enim consti- tutione gravissima propemodùm hujus Mali luditur: fæcna, imprimis si subjectum animi pathematibus vio- lentioribus magis indulgeat.

Cæteroquin, si omnia ita, uti convenit, per has æ- tates procedunt, corpore æque ac animo; plenus inte- rim



rim victus, status sanguinis plethoricus, mutatio vitæ generis ex agiliore in segnius, aut animi quoque morum exacerbationes, ætate *consistente* versus quinquagesimum annum, & ultra, breviter, in tempus *cessationis mensum*, incidunt: ibi tum evenit huic sexui veluti proprium illud tempus, quo hypochondriacis pathematibus quasi magis legitimè affici atque corripì possit: siquidem res adhuc veluti tolerabilissimè cedat; hoc enim si non fiat, & impetu majore ingruant pathematum illorum veluti fontes atque torrentes, tunc recto magis tramite ad illos effectus ultteriores fit progressus, quos Mali Hypochondriaci gravissimi castrophen tandem constituere, supra inuimus.

*Senioribus* autem viris quoque, quod quidem supra jam tetigimus, pathemata hypochondriaca tunc imprimis obtingunt, quando evacuationibus quibusdam sanguineis, specialissime vero *hæmorrhoidibus* antea assueti, post hæc defectu illarum laborare incipiunt: inde enim similiter, ut de foeminis modo diximus, tolerabilissima passione, hæc *hypochondriacas* turbas experiuntur: quo majore verò impetu irrumpunt hæc pathemata, eo brevior quoque via ad suprema horum moliminum fastigia perveniunt, nempe interne quidem, *hecticam asciticam, colicam, Iliacam* mala, aut *inflammatorias* febres: externè vero ad *Ischiaticam, podagricam, varicosam*, pathemata: aut ambiguis & altius evagantibus translationibus, ad *vertigines, catarrhos suffocativos, Paralyfès, Apoplexias*.

De reliquo vero memori utique mente tenendum est illud, quod superius etiam attigimus, quod hoc malum *juvenili* ætati adeo peculiariter familiare, & sano sensu proprium sit, ut etiam, quando Malum hoc huic ætati obtingit, solius vitæ generis atque diætæ, mediocri-



bus etiam mutationibus, subsequenter *virilitate* ita mi-  
tescere possit, ut vix antiqui Mali vestigia agnoscant, aut,  
in comparatione ad istud, jam amplius conqueri operæ  
pretium ducant patientes; quod quidem tanto magis, &  
ad pristini Mali probabilem cessationem usque, contin-  
git, quando vitæ genus notabili mutatione ad majorem  
activitatem, animique libertatem atque tranquillitatem  
deducitur.

CAPUT V.

De

CAUSIS MALI HYPOCHON-  
DRIACO - HYSTERICI.

**D**uplici respectu causas morborum considerare li-  
cet, imo nisi nos omnia fallunt, etiam decet; nem-  
pe primò veluti *materialiter*, quænam sint illæ res,  
quæ causarum nomine notari mereantur: secundò *for-  
maliter*, quâ ratione causalitatem; sive efficaciam suam,  
ut causæ, exferant: quæ quidem utræque consideratio-  
nes, rectè institutæ, atque ex ipsa effectuum veritate ita  
demonstratæ, illustrant se invicem, & pariunt adeo *scien-  
tificam* cognitionem, nempe quænam res in hisce morbis  
causarum rationem habeant, & quo agendi, sive ut lo-  
quuntur, influendi modo, suam indolem causalem ex-  
ferant atque exhibeant.

Excerpemus itaque ex illa, quam hæctenus produ-  
ximus historia, illas imprimis res, quas causæ rationem  
habere verisimile est; postea vero allaborabimus velut  
à posteriori ex ipsis effectibus ac eventibus, etiam de-  
monstrare, quod non solum verisimile sed verum omni-



no fit, quod hæc res ut causa agant & verè ac formaliter causa sint atque haberi debeant.

Numeramus itaque primo loco *Plethoram* s. abundantem sanguinis *quantitatem*; cui accensem primam & simplicissimam *qualitatis* ejus labem, consistentiam justo *spissorem*: Tertio Naturæ vegetioris intentionem atque *molimina*, partim *qualitatem* illam, partim consecraria ejus, impeditiorem *progressum*, sublevandi: partim vero *quantitatem* ipsam, aliqua imminuendi & exonerandi: ita tamen, ut illa *qualitas*, & propter hanc impeditoris progressus correctio, familiarius, & expeditius etiam, sit intentionis naturæ objectum, quam actualis *excretio* sive imminutio,

Sicut autem & *quantitatem* sanguinis, & *qualitatem* ita laborantem, pro *generalibus* causis meritò agnoscimus; ita *specialiores* causas esse asserimus, *propter* qualitatem minus convenientem, quantitatis etiam peculiarem s. *particularem* redundantiam: *restagnationem* videlicet, s. copiosorem collectionem, in *Vena Porta*, à progressu impeditiore primò suborientem, sensim vero progressus impedimento novum augmentum addentem. Intentionem etiam illam atque *molimina* Naturæ, intelligimus imprimis & *specialiore* determinatione, circa *Venam Portæ* ita occupatam, & *ibi præcipuè*, majore nisu & motuum conaminibus, laboranti progressui succurrere conitentem.

*Remotiores* vero causa quæ dictis hisce demum producendis inserviunt, sunt imprimis, (sub reliqua bona sanitate, bono appetitu, bona concoctione,) minus commode instituta, tum libera *distributio*, tum libera *ventilatio*, tum debita & proportionata iterum *consumptio* abundantanter provenientis sanguinis. Huic negotio velificantur imprimis *edacitas*, *potus* vero parcius assumptio: vita genus



immobile, *sedentarium* ab dominis inconueniens *compressio*, *excretionum* quarumlibet negligentia: imò animi alias quidem nimia ad speculativas res *avocatio*, alias vero *trepida* atque *timidia* fluctuatio, inordinatis, rependinis atque *turbulentis*, palpatoriis nempe illis *motibus sanguinis* directe concitan dis, quasi tota intenta.

Habet etiam *causæ* rationem, ipse *vigor* & energia maior ac præsentior, quo intentiones, reliquis talibus causalibus circumstantiis quadrantes, & tanto promptius, & tanto pertinacius suscipiuntur, & ad effectus deducuntur. Cum ex aduerso *segnior* indoles, vegetiora tali molimina suspicere diffidens, magis directe veluti ultimis illis incommodis, imò damnis obnoxia fiat, *hectica* *hydropi*, &c.

Præcipuam autem causandi rationem habent hic etiam *assuetudines* talium motuum, sub certo quodam, & benè quidem atque promptè succedente effectu: *consuetæ* nempe, & plus minus statæ exonerationes *sanguinis* prægressæ, si illas post hac *supprimi*, aut valdè *imminui* contingat. Tanto magis autem atque certius, conspicua etiam & veluti directa efficacia, causæ rationem induunt hujusmodi *consuetudines* cohibitæ, ad nostrum præfens malum, si ipsæ etiam illæ *evacuaciones*, cum *hypochondriacis* *meatibus* atque *partibus*, sive ratione ipsius *loci*, sive ratione *ætatis*, symbolum certum habeant.

*Assuetudinum* choro annumeramus *Hereditariam dispositionem*. Certe enim non solum sub alia nulla classe commodius, sed omnino sub *consuetudinis* tribu, non magis commodissime, quam verissimè stare posse *dispositionis hereditariæ* negotiū, omnib9 respectib9 nobis apparet. Ante omnia hujusmodi dispositiones, quæ circa *motuum* negotia occupantur, & non solum certis *generibus* motuū, sed certis etiam *speciebus* & *temporibus*, superstructæ sunt,  
 nihil



nihil vero æque *sensibiliter*, nedum videnter commercii aut immediatæ relationis habent, cum *corporali* aliqua paritate, sive ut loquuntur, relatione: v. g. certum *tempus*, quod in hujusmodi negotiis, quæ non ab hæreditariâ *similitudine corporis*, sed *moribus* hæreditariis plane peculiari- bus dependent, nullam connexionem cum partibus corporeis habere potest. Luculentissimum hujus rei exem- plum, exhibent nobis *aversiones* aut *cupiditates* ex *phanta- sia* matris in fœtum derivatæ; quæ absolutissimè nihil ali- ud sunt, quam verum ejusmodi *hæreditarium vitium*, à matre in fœtum transmissum: ubi interim nec in matre *corporea* aliqua labes inculpa est, vitiosæ istius phantasiæ; nec in infante, *corporeæ*, sive similitudini, sive corruptelæ, isthæc appetitus perversa cupiditas innititur.

*Instrumentalium* causarum munere, vario respectu funguntur motus illi *spastici*, qui varias *torsiones*, *tensiones*, *pressiones*, *gravitates*, *voluntationes*, *micationes*, &c. repræ- sentant, & fere sensibiliorem partem totius Mali constitu- unt: imo subinde etiam in culpa sunt; ut *adstrictiones* & obstipationes excretionum, imprimis *alvinarum*, orian- tur infernè: è contra supernè, *voluntatorii* ascensus, *nauseæ*, conatus *vomendi*, *eructationes*; & *ascensus flatuum* versus superiora; superveniente quin etiam tandem majore im- petu atque conatu, *vomitu cruento*.

His imprimis in acceptis ferre convenit, *consensuales* tandem jam *regurgitationes*, jam pariter *spasticas restrictio- nes* versus superiora, imprimis in fœminino sexu; ut videlicet *caput præcipiti* impetu gravissimè doleat, jam cum *ar- doris*, jam cum *algoris*, imprimis circa verticem, sensu: quod pathema *Sydenham*, *clavum hystericum* nominavit: horum locorū tœminæ, vernacula den Ober-Rotck, Ueberoder Debers- Rotck: nimirum *Colicam anotericam* designaturæ, de qua spe-



speciali programmate egit D.D. Præses, *Cephalalgia Iliaco-Hæmativica* titulo.

*Causalem* rationem conjunctam fere hic habent, *Hæmorrhoides internæ*; aliquando fortassis ut *eventus* seu effectus magis *per accidens*: familiarius autem, ut effectus magis *directus*, in dō *causali* respectu, atque ordine ad reliqua illa causarum genera, tanquam verus *finis* seu *scopus* univèrsarum reliquarum causarum.

CAPUT VI.

De

FORMALI CAUSARUM HARUM RATIONE ET MUTUO NEXU TOTIUS MALI PATHOLOGICO.

**P**ossemus Causas antea recensitas, in classes & titulos suos distingvere; sed non improbamus, verum laudamus potius in hoc genere, illum morem, quo *ne-  
xum* quidem causalem intelligere atque sequi in ipsis rebus, necessarium ducitur: *nominum* autem assignationibus, & *definitionis* de quolibet subiecto demonstrationibus in hære, *Logicæ* magis, quam alterius cuiuscunque disciplinae interesse agnoscitur.

Deducemus itaque potius *in concreto*, ipsum causandi seu fiendi ordinem; ita facile deinde erit, ex ipso effectu, seu conceptu *reali*, agnoscere, qualis *notio* seu *nomen*, singulis hujusmodi materiis, instrumentis, actionibus, objectis, affectibus & eventibus, assignari mereatur. Unde rem *reali* potius ordine, quam *verbali* discrimine, determinabim9.

*Plethora*, ut aliàs, nisi motibus ad tolerantiam laboriosis, partim ventiletur, partim perpetuis successibus absumatur, corpori quidem *obliqua* incommoda atq; molestias conciliat, *secretiones* & *excretiones* laboriosiores reddit, & à  
varia



libertate voluntariarum actionum, prægravando atque cito velut ebulliendo, hominem impedit: *sanguinis* autem ipfius, quin & reliquorum humorum, *crasum*, rariore circuitu, ad majorem *spissitudinem* simplicem deducit: quæ, immediatè quidem, laboriosiore *progressum* infert, adeoque robustiorem *impulsam* postulat; mediatè vero *stasibus*, decorrptione periclitantibus, anſam præbere poteſt.

Adverſus hæc incommoda, imò metuenda tandem pericula, non niſi duplex ſuppedit conſilium; nimirum vel primo, *plethoram* in ſolidum *imminuere*, adeoque toto onere ſeſe levare; vel ſecundo, ad minimum tales ejus hinc inde pullulantes *effectus*, maturè depellere atque illis reſiſtere, imo ipſos *corrigenere*, & in ordinem debitum redigere. Prius fit per exonerationes ſinceras ſeu *hæmorrhagias*; poſteriorius, per tempeſtivas diſcuſſiones, propulſiones, reſpreſſiones vegetiores, ut impedimentum à ſanguinis *ſpissitudine* prognatum, alacri augmento *preſſionis* ita reſarciatur, ut eo ipſo non ſolum *progressus* debite expediatur; ſed etiam, ipſa propulſione fortiore, labes *crasos* ſanguinis circa illa loca, emendetur: ſiquidem *atenuatio* fluidifica ſanguini revera conciliatur, per ſufficienter *vegetum motum* ejus, per ſubtiliſſimas vias & meatus *transpreſſorium*.

Jam cum actualis *imminutio*, & evacuatio ſanguinis, in pueritia & adoleſcentia imprimis circa *caput*, nempe *per nares*, inſtitui ſoleat; in *juventute* agiliore, & maxime orthoſtadia, ad *pectus* vergere deprehendatur; ſedentariæ vero, ac otio deſidi, *juventuti*, præfertim *augeſcenti*, tanto magis autem *virili* ſeu conſiſtenti ætati, ad *hæmorrhoidales* exitus tendere, obſervetur: fit inde, ut quando, *tali ætate* & talibus moribus, *plethora* ad aliquã *excretionem* deſtinatur, illa ad hæc præcipue *loca* & hæc *vias* vergat, ſeu *dirigatur*, adeoque circa *hæc loca*, partim *collectionis*, partim *preſſorium*

E

rum



*rum conaminum & moliminum varia signa atque specimina edat. Scio esse harum rerum solertes æstimatores, qui nobis hic assensum præbere non graventur; quem etiam, intuitu ætatis, cur videlicet hoc Malum potissimum juvenili ætati, præ aliis familiare sit, aut hæmorrhoidalium motuum & excretionum suppressiones, certius subsequatur, omni modo deposcimus, & ex vera circumstantiarum pensitatione, expectamus.*

Qui vero in hoc adhuc tergiversantur, illi ad minimum, si decenter animum ad vertant, ad *Venæ Portæ structuram atque usum*, ejusque *proportionem* ad motum & progressum debitum tam *copiosæ* sanguinis, inficiari non poterunt, quin *spissitudo* sanguinis, prompto ejus successui, in nulla absolute alia parte corporis præsentius *obstaculum* atque impedimentum afferre possit, quam in hac *Vena* ejusque *ramificationibus*, quin imò *visceribus* illi affixis, & partim ad illam transmittentibus, partim ab illa recipientibus sanguinem.

Unde quidem, quando *sedentaria* vita, *compresso* abdomine, & circa umbilicum intro adactò, veluti *dimidio Mesenterii*, ubi maxime numerosissimi *rami* venæ hujus, ad truncum ejus coire debent, insignis *arctatio* incommodo hoc situ inducitur; quid aliud fieri potest, quam ut sanguis, jam in tota *Massa spissior*, & impeditiore illo successu jam alias laboriosius progressurus, si prorsus hæc etiam *accidentalis externa compressio* intercedat, longe segniore successu relicto, in hisce ramis diutius detentus, tanto magis lentescat, adeoque ordinario suo motu per ramos *superiores, distributorios*, non sufficienter procedere possit.

Nascuntur hinc *duo* incommoda; alterum in ipsis hisce *vasibus atque viis*, alterum in *motu* ad necessariam proportionem instruendo. *Vicæ*, vasa nimirum hæc venosa, quæ *ingressum* quidem sanguinis ex *arteriis* Cœliacis & Mesentericis



tericis, excludere non possunt: liberum interim progres-  
sum, ex inconveniente ejusmodi situ accidentalī, non suf-  
ficienter nanciscuntur, patiuntur eo ipso *distensionem inso-*  
*litam*, quæ *frequenti*, imo interdum diu veluti *perenni* re-  
petitione, ita in habitum deducitur, ut imposterum talis  
receptivitas partis, pertinacissimè fovendo Malo, præci-  
puañ ansam præbeat: repetantur quæ supra ex observa-  
toribus annotavimus, de hac in hypochondriacis reper-  
*ta enormi vasorum horum capacitate ac distensione..*

Alteram incommodum, in se quidem, & in compara-  
tione ad *sanum* ordinarium statum revera hoc nomen  
meretur; intuitu vero reliqui *præsens* status, salutaris potius  
*instrumenti* atque subsidii nomine venire debet: intelli-  
go *Tonicorum*, imo *spasticorum motuum*, in *mesenterio* &  
*ipsis intestinis*, imo *Liene*, non excluso *Hepate*, imprimis  
circa partem *sinam*, qua Venæ Portæ ingressus in ipsum  
contingit augmentum.

His enim *pressuris* motibus, modo non *immodice* si-  
mus & semel exacerbatis, compensatur illa difficultas *libe-*  
*ri successus*; pellitur inquam, aucto extraordinem impulsu,  
sanguis, qui ordinario motu, & *quantitate* intra hujus ve-  
ne diffusum ambitum excedente, & *qualitate* spissiore,  
non poterat sufficienter promoveri.

De *ordinario* motu, & quod ille maximam partem per-  
ficiatur *respirationis* efficacia in *Hepar*, & universa *abdomi-*  
*nis contenta*, Venæ Portæ connexa, nota est sententia D. D.  
Præsidis; cui ego quoque, tanquam simplicissima eviden-  
tia mihi probatæ, non solum ad stipulor; sed etiam ex illa a-  
gnosco atque deduco causam, cur non solum *voluntarie*  
paulo laboriosiores, & multiplices *intensiones respirationis*  
sub aliis externi corporis motib9, præcipuum usum *hypo-*  
*chondriaci* præstent: sed etiam, quod *suspiciosi* sint hypo-  
chondriaci. Quod quidem non immerito interpretamur



pro confultâ potiùs quadam intentione, motus sanguinis per Venam Portæ & Hepar ita sublevandi; quam pro passivo quodam symptomate, & nudo directo effectu hujus mali. In quo nos confirmat sensus etiam ille, quem ita affecti, tanquam causam crebrioris suspirii, & non raro voluntarii, allegant, atque discerte determinant, quod nimirum suspirent propter sensum angustie, circa præcordia, aut hypochondria, sibi negotium faceflentis.

Quemadmodum autem Lienis in homine ita dispar à brutis est constitutio, ut saccus potius quidam tomentosus, sanguine suffractus quam distinctis numerosis ramis, instructum viscus appareat; ita fit, ut, quando sanguis per arteriam equidem, nulla latis obstante compressione, in hoc viscus injicitur, refluxus autem, sanè longissime lentior, impedimentis talibus, sive suis compressorii, sive indomitum, & efferorum spasmodum, vehementer imminuitur; ut non solum viscus hoc distensionem vehementem inde incurrat; sed etiam, diutius durante hujusmodi restagnatione, sanguis ibi ita copiose detentus, graviore spissitudine, imò grumositate tandem correptus, longè laboriosioribus, jam spasticis, jam febrilibus epigenesibus, ansam præbeat.

Quemadmodum verò interim hi motus tonici aucti, ad spasticam usq; indolem intensi, si non unicum, præcipuum tamen remedium & instrumentum sunt, ad impedimenta illa progressus sanguinis, in perplexo hoc systemate vaporum, expedita atq; tollenda; ita mirum non est, quod non solum à vegetiore natura suscipiantur: sed etiâ, si paulò præcipitantiùs instituantur, loco justî sui effectus, incommoda potiùs, molestias, imò pericula augeant. Sicut enim pressiones tales, moderatiùs, & jugi quodam successu, seu continuatione atq; assiduitate, institutæ, & sensim proseguendo, ad præsentis abundantie dilcussionem usq; pe-



dēdentim intensæ, finem illum commodè affequi & obtinere poterunt: ita, si præcipiti *indignatione*, *terrifica* collu-  
 statione, aut *timida* trepidatione & *anxia* contentione,  
 non solum instituantur, sed etiam horum *animi* turbulen-  
 torum *motuum* typo atque filo regantur, loco *successivo*-  
*rum* progressuum, *repēditis* compressionibus, imo *præpo-*  
*steris* subinde, aut undique, sibi etiam hinc inde reluctanti-  
 bus, viarum atque viscerum constrictionibus, augentur  
 potius *infarctus*, *tensiones*, *angustia*, *inspirationes*, *stases*, imo  
*corruptionis* pericula, & his opponendæ *inflammationes*.

Illud superest, in hoc genere, & his locis dispicere, qua-  
 nam causali ratione atque eventibus, hujusmodi sympto-  
 mata, imprimis à præcipiti, aut pertinaciore motuum ho-  
 rum commotione, producantur. Huic considerationi ut  
 decenter satisfiat, sistenda ante omnia est illa *distinctio*  
 magis *historica*, quæ ex attentiore observatione *clinica*  
 resultat, quod non omnibus atque singulis *Hypochondriaci*  
 atq; *Hysterico* dicto, Malo laborantibus, sive omnia sym-  
 ptomata atque pathemata *communis* atque familiaria sint;  
 sive quælibet ex illis *indifferenter*: sed potius aliis alia usitata  
 & sano sensu quasi *propria* sint: & quidem iterum, non vaga  
 quædam, aut numero atque indole singularia, sed *plura* in-  
 ter se mutuo *conspirantia*, ita, ut ubi unum horum eminenti-  
 tius sese exferat, alterum, aut plura reliqua, leviter cir-  
 cumspiciendo, certè illis coherere atque concurrere de-  
 prehendantur.

Hoc intuitu, querela illa de *Splenico* dolore, exquisito  
 præsertim & *anxio*, cum *inflatione* atque *duritie*, non solum  
 diuturna, sed aliquando etiam planè *perenni*, familiaris est  
 primò, præsertim *fæminis*; secundò, illis, qui tensionibus  
 secundum *longitudinem dorsi*, vergentè tamen ibi etiam  
 versus *sinistrum* latus sensu, affici solent, è *viris*: tertio utri-  
 que sexui simul pertinacibus *alvi adstrictionibus* exposito:  
 E 30  
 quar-



quartò, illis quam maximè fœminis, quæ simul commotiones vomibundas experiuntur: quintò, maximè omnium autem illis, quæ tandem *sanguinem*, aut *nigricantia* copiosa vomunt: sexto, viris autem, qui sive manifestioribus moliminibus atque rudimendis *hæmorrhoidalibus*, sive prorsus jam affectarum talium *evacuationum* imminutionibus aut suppressionibus, laborant.

Econtrà, neque fœminas, vehementibus quantumvis *torminibus*, hypochondriaco-hystericis vel ipsarum iudicio repudiantis: neque viris, quantumque frequentiori atque vehementiori *Colicæ* obnoxiiis, usquam familiaris est hic affectus: Sed è contra *tenesmodea* potius intestini recti pathemata, dejectiones *mucosæ*, tragacanthæ dissolutæ instar, sive universo magis subrucco colore, sive stris rubicundis conspicuæ: *asperitates* veluti pustulosæ, sive *tubercula* intrà orificium ani, *Masskörner*, *Taken*, ipsis appellata, aut penetrantiores dolores, imò repentini penetrantissimi *morsus*, paulo intus in intestino recto, aut extus per longitudinem *offis sacri*, aut *acuti pali* ibidem infixi *rigentis*, & ad varios motus pungentis, sensus.

illis porrò, quibus magis in *textro* latere, & tensionis, atque pressionis, & inerdum lancinationis aut compunctionis, & tandem in solidi *caloris*, imò ardoris, sensus, infestus est, complicatur, si laxioris paulò sint habitus, *anxi*, *rubor* & *volaticus æstus* circa faciem, imò totum corpus, cum *angustiis* & *anxietate*, & febrium periculo, subinde etiam expresso concursu atque epigenesi. Qui *strictiore* atque densiore sunt habitu, exacerbato hoc sensu, incurrunt *luridum* aspectum, & *Icterodem*; obnoxii etiam fiunt translationi istius sensus in *sinistrum* latus: afficiuntur interim veluti solennissimè lentà quadam *febre*, *leniore*, aliquando etiam *graviore*. Prioribus, ferociùs exacerbato Malo, *febres*

In-



*Inflammatoria* periculosissima; posterioribus *hectica*, sive quas veteres vocant *hecticas cum putridis*, hectica nimium ferociore, & maturius ad funestum exitum properantes, succedunt.

Qui verò pathematibus hypochondriacis magis circa *media præcordia* laborant, illi vel tolerabilissime omnium reliquorum habent, neque ferè pluribus evidentibus aliis symptomatibus divexantur, quam variâ & multiplici *stultentia*. Sin autem hujus etiam generis angustia *ferociore* gravius afficiantur, solet his vel concurrere, vel tandem supervenire atque coalescere, *pectoris* labefactatio, *tusses* jam sicca, jam, sed rarius humida, *asthmata* spastica & convulsiva, fœminis *suffocationes*: viris imprimis, tandem *hæmoptyses*, non eadem frequentia fœminis, sed his potius *vomitus cruentus*, utrisque tandem *phthisis*: sub tolerabili vero adhuc statu, in hoc imprimis Hypochondriaci Mali schemate, à *gressu citiore*, aut *scalarum* ascensu, ingens *angustia* respirationis.

Cœterum hæc ipsa quoque species, si illam derepentè, imprimis per internas tacitas commotiones, & imprimis, velificantia *animi pathemata*, exacerbari contingat, vergunt fere solennius ad *dextrum* latus, & præbent occasionem *inflammatoriis* illis periculis, de quibus medio loco dictum est: sin autem *externis* commotionibus, per motus corporis citiores, *curfus*, *saltationes* imo interdum usque adeo *equitationem* succussatoriam, clausa præsertim *alvo* & ventre *stultento*, citius concitentur, vergunt familiarius magis ad *sinistrum* latus, & formant ibidem primo loco designatum illud pathema.

Sterile hic sit prolixè per argumenta demonstrare, quod prima illa species hujus pathematis, *Lienem* pro fede agnoscat; certe enim, qui post omnes jam altius supra, in  
- ipsa



ipſa *Hiſtoria Mali*, allegatas circumſtantias, magis *privati-  
vas* illas, non didicit ex praxi; aut decies inculcatas intelli-  
gere non poteſt, quod nimirum nemini directe, quantum-  
licet perfecte, *Colica*, laboranti, hoc *ſiniſtri lateris* pathe-  
ma familiare ſit; è contra illis, de quibus nobis eſt fermo,  
citra ullum alium, ne leviffimum quidem *torminoſum* ſen-  
ſum, ita vehementer infeſtum ut graviffimis querelis,  
quiritationibus, ad lachrymas uſque argentibus doloribꝰ,  
& quidem non per aliquot momenta, unam aut alteram  
horam, dimidium aut integrum diem, (*verè colicæ* inſtar)  
affligendo, ſed in *terium*, *quartum diem*, inſiſtendo, nihi-  
lominus ne volam aut veſtigium *torminum*, a deo *Colicæ* paſ-  
ſionis præ ſeſe ferant: & quod hæc omnia, non ſemel forte  
per annum, in una urbe, ſed quotidianis numerolis exem-  
plis, ita fiant, & obſervationibus, ita occurrant, ut niſi qui-  
dem ſtupidus plane ſit, & *ἀλλοπεγαγίας* conſuetis, perpetuo  
ſui, & primariorum propoſitorum im-poſ atque oblitus  
Præcticus, non poſſit has res negligere, aut non percipere:  
hæc inquam, qui attendere, nedum comprehendere, non  
poteſt, certe indignus fuerit, cui tria verba ultra dicantur.

Qui vero & obſervandi & intelligendi, & conclu-  
di compos fuerit, ille facile utique comprehendet, quod  
hic affectus, hic inquam *Splenicus*, revera totam aliquam  
*ſpeciem* doloris hypochondriaci abſolvat, adeoque *forma-  
liter* ſit dolor hypochondriacus, neque ullo adeo reſpectu  
operæ pretium ſit pluribus hoc deducere; non reſpectu  
perſonarum, non enim *Logicam* jam tractamus; & qui col-  
ligere non didicit, ſi non tacet, ex hoc præſertim defectu  
illud facere nihil mirum eſt: non reſpectu rerum, quas  
puto vel ad nauſeam inculcatas eſſe.

Ut vero ad cauſalitatis reſpectus redeamus, aſſerimus  
quod omnes hi *motus*, nam motus utique ſunt, circa, hæc

locæ



*Illoc* & hæc *partes* ortum suum trahant, non à vulgo dicta illa *obstructione*, præcipue *subtilium* ramificationum *Venæ Portæ*, sive ut mulieres, & vulgus practicum sibi mutuo persuadent, von *Verstopfung des kleinen Geädder* s: quæ quidem res non debuerat excidere recentioribus Theoreticis mechanicis, nempe consciis utique, quod istæ *extremitates* tenerriam ramificationum *Venæ Portæ*; non in illis locis reperiantur, quæ doloribus his sensibilibus exercentur; sed in tunica nervea dicta *intestinorum*, & *Hepate* tantum: quorum tamen utraque talia viscera, nullum directum & præcipuum pathema hinc persentiscere, sed per partes solum, aut rarius hinc laborare, omnes circumstantiæ commonstrant.

Est vero illud circa ipsam potius venam *Portæ* pathema, *impeditior* solum, non totus *sublatus*, progressus sanguinis; non in reliquis, strictè dictæ *Venæ* hujus, *recipientibus* nemperamis; sed in *distribuentibus*, & versus illos, nempe verè *Portæ* *Venæ*, qua *Hepar* subintrat, ramos.

Sicut autem illa opinio, quasi fundus *Mali* hæreat in *ramificationibus* hujus *Venæ* strictè *venosis* dicendis, post sese trahit æque absonas illas ætiologias, quo modo ab harum obstructionibus pathemata talia oriri possint; ubi nempe inquieti illi *nifus ætheris*, in *poris sanguinis* inclusi, aut *insultu* ejus obstinati, quando per compressos poros sanguinis non ingredi liceat, quod tamen voluntate divina ipsi junctum sit: deinde *spirituum* indignationes, ex paribus causis, porro *fibrarum distensiones*, & forte omnibus adhuc præferendæ *fibrarum irritationes*: è quibus rebus *tumultuarii* motus, & quidem ut ulterius interrogandi curiositas excidat, per superlativos deducuntur: Ita è contra puto longe simpliciorē esse posse illam causalitatem, quod à difficiliore progressu, primo quidē *resignatio*, (i. e. non pleni-

F

riade-



detentio, sed copiosioris *collectionis* solum necessitas,) adeoq; magis magisque *diffensio* hujus venæ, consequatur, ad quam expediendam, nulli alteri rei usus sit, quam suscipiendis in hunc finem præsentiorib; *motibus pressoriis*: quos, cum à vasibus immediate, ex propria aliqua sua energia, nisi nuda imaginatione, sufficientem expectare non liceat, petenda illa utique venit ab illis *partibus*, quibus hæc vasa, & sine dubio in hunc maximè finem, *interdexta* sunt.

Intendimus hic iterum jure meritoque digitum, ad copiam illam *fibrarum* atque membranarum, quin potius *tunicarum*, quibus humanum corpus, circa has partes, præbrutinis plerisque instructum, eo ipso hujusmodi effectibus tanto magis idoneum est.

Est itaq; strictura, imprimis *Mesenterii*, ab *Intestinis* languidiginepiens, primaria causa sensus hujusmodi dolorum *in genere*; paulo jam *specialius* determinati hi *motus*, ut versus *certam* aliquam partem restrictio adornetur, formant illam congestionem, præcipue versus & circa præcordia, quæ tum ad *vomitus cruentos* eminus respicit, tum a *otericarum* ulteriorum congestionum intentionem sequitur.

Multo jam specialius, vergit ad *sinistrum* latus, specialis strictura circa rami capaxis illius *Splenici* exortum è *Portæ Venæ*, & ipsius rami *Hæmorrhoidalis* communionem. Ubi videlicet specialior jam intentio est, stagnationem illam, imo probabiliter non solum hanc ita excedentem *quantitatem*, sed etiam impeditum propter *qualitatem* spissiorum successum, propiore *evacuatione hæmorrhoidali* expediendi. Sicut hujus rei confirmationem suppeditat manifestum illud phænomenon, dum *hæmorrhoidariis*, sub impeditiore evacuationum suarum successu, hæc versus & circa *sinistrum* latus pathemata, maxime familiaria sunt.

Tertia vero illa via, quæ versus *dextrum* latus, nimirum



ram *Hepar*, pressio<sup>n</sup>um illarum effectus vergit, est quidem reliquo ordini maxime conveniens; Interim, si impetuosè tractetur, aut sanguine nimium spissiore jam hæmorrhoides etiam aspernante, ultimus & pertinacior impetus totus in *Hepar* intentetur eveniunt utrinque primo molestiæ illæ, mox etiam pericula: priore casu febrilia inflammatoria; posteriore, & hæc, & hectica, vel denique Scirrhusa, hydropica &c.

Ut itaque totum negotium causalium respectuum & mutue dependentiæ brevibus complectar. Subjectis plethoricis, ad excretiones sanguinis suscipiendas vel jam assuetis, vel proxima dispositione inclinantibus, vel illa consultata evacuatione aliquandiu in totum aut in tantum destitutis, si reliqua otiosior, & specialissime deses sedentaria vita obtingit, sanguinem spissescere contingit; Imprimis quando *Dieta sicciore* insuper utuntur. Quando jam commotiones ad exonerationem iterum cooriuntur, imprimis tamen ipsæ quoque adhuc moderatiores, connititur Natura ad hanc perpetrandam per vias sive loco consueto (in feminis, & jam olim hæmorrhoidariis) sive ætati respondentes, nempe (nisi fortior impetus ad pectus vergat, per hæmorrhoidalem evacuationem. De maximo consensu *Vene Portæ per rimum, hæmorrhoidalem cum Mensium* negotio egit DD. Præses in *Disp. de Vena Portæ* &c.

Cum autem omnes hi conatus evacuatorii non aliter fieri possint, quam, sive per pressio<sup>n</sup>em directe expulso<sup>r</sup>iam, sive per stricturam tam diu detentoriam atq; restagnatoriam, donec denegato progressu seu refluxu, tandem eruptio, per ipsos teneros meatuum ingressus, sequatur; exserunt se hinc proinde necessario, tum pressio<sup>n</sup>um illarum spasticarum sensus, tum distensionum similium perceptiones. Sicut autem in toto corpore animali, ordinaria motuum energia ita



comparata est, ut nusquam aliqua cujuscunque motus *intensio* fieri possit, quin alio, & fere proximo quoque loco aut tempore, energiae hujus aliquod *decrementum* sentiantur; quod tempore iterum quodam indigeat: antequam restaurari possit: ita valet hoc etiam in *intestinis*, si *partialiter* mortus illorum augeatur, ut è reliqua illorum longitudine aliis locis, interim de vigore *toni* illorum notabilis aliqua remissio fiat: quam proinde tanto facilius *dissensio* à vaporibus intus coorientibus, subsequitur, quam *stasulentiam* appellamus: unde quidem tum plerique *hypochondriaci*, tum omnes *haemorrhoidarii*, exquisitè *stasibus* copiosis obnoxii sunt.

Hæc certe *pressio*, vel ad *propulsionem* mediocrium stagnationum, vel ad ipsam *expulsionem*, tendens, caput est omnium reliquarum *hypochondriacarum* passionum *directarum*. Interim *per accidens*, & per individua, etiam varia accidentia, tum huic *pressioni* supervenire, tum illi sæpius aut fortius provocandæ, occasionem præbere, tanto facilius est conceptu. Unde quidem etiam specialia, & prorsus *per accidens* admissa, tam circa cibos & potus, quam desidiam, aut immodestos motus corporis, insignia curata, malo huic *exacerbando* maximè vel fiantur.

Præcipuum autem locum hic meretur consideratio, præsentissimi effectus *animi perturbationum*. Cum enim hæc ordinariè repentina quædam mutatio *motuum* animalium sequatur, ut variis *gestibus*, imò fortissimis interdum conaminibus, dilucescat specialis quædam tunc temporis *intentio*, per *motus* in effectum deducenda; ita respondet huic communiter etiam congener susceptio atq; administratio *vitalium motuum*, quæ non ordinariæ œconomiae vitali, sed unice, hoc tempore, *intentionibus* illis *patheticis*, respondeat: quamvis in genere etiam *visio* cuidam *vitalis*



œconomia superstruatur, v. g. ut intentio molestum & odiosum, quiddam; quacunq[ue] vi expellendi, quam iracundiam dicimus, non æque alibi extraordinarias commotiones tonicas aut spasticas, hæmorrhagicas, arthriticas, nephriticas cholericas, simul excitet, nisi status corporis sit plethoricus, calculosus, cacochymicus, biliosus. Breviter, materia in corpore quantitate aut qualitate insigniter molesta, coortis animi pathematibus, tantò magis domesticum quendam fomitem constituit, in quem intentio illa pathetica, præsentius & pertinacius inclinetur. Unde etiam in nostro negotio simile quiddam fieri mirum esse non potest.

Concludimus itaque hoc caput illa assertionem, quod Malum Hypochondriacum nihil aliud sit, quam Systema quoddam jam moruum & moliminum spasticorum, jam sensationum tensoriarum, & oppletivarum, circa venam Portæ, & viscera cum hæc connexa; ubi partim activè, ad restagnationum pressuriam discussionem, aut vomitorias, vel hæmorrhoidales, exonerationes sanguineas, destinata sint hæc tentamina: aut passivè, ab ipsis restagnationibus, & hinc dependentibus distensionibus, molesti illi, imò dolorifici sensus, dependant.

Et hæc quidem sine dubio sufficere possunt pro ætiologia, & causalibus nexibus, respectibus, destinationibus, horum hypochondriacorum pathematum deducendis. Sic ut autem quæ paulò ante, de nexu animi pathematum cum hypochondriacis hujusmodi motibus & moliminibus, tacta sunt; jam alias diversis locis, specialissimè tamen Dissert. de Astu Maris Microcosm. & peculiari programme, quod pathetica mutationes motuum vitalium, non sint tumultuarie &c. prolixius tradita habentur: Ita possunt illa, quæ Dissert. de Temperamentis, sub consideratione illorum physiognomica dicta sunt, de temperamento Melancholico, referri ad specialem efficaciam gravioris anxietatis hypochondri-



*atriacæ*, quam *Melancholiam Hypochondriacam* appellant: dum videlicet ab ejusmodi *incarceratione* sanguinis spiffioris, imprimis in sacco *Lienis*, cui vix ulla expediendi via aut spes affulgeat, sed eo ipso impendentis, & *cruenti* quidem (per vomitum *cruentum*, imo *nigrum*, *corruptum*, deleterium) *funesti* præcipitis exitus justus metus inster: Dum, inquam, ab hujusmodi corporeis circumstantiis, anima ita tota occupata & anxie sollicita est, ut nihil nisi ejusmodi cogitationes formet atque foveat, quasi cum toto suo corpore, *captivitati*, *carceribus*, imò *violentiæ* atque *cruentæ* morti destinetur, adeoque ad minimum, ut germani exprimunt, omnia loca atque spatia, *angusta*, *arcta*, *obsepta*, *præclusa*, perpetuam memoriâ, imò perpetuo quasi præsentem *obutu*, ipsi videantur aut fingantur.

CAPUT VII.

DE

HYSTERICIS APVD FOEMINAS HYPOCHONDRIACAS, COMPLICATIS CONSENSIBVS ET RESPECTIBVS.

**U**Ti semper præceptus est lapsus humanæ indolis ab uno extremo ad alterum, & difficillimum moderato progressu, in medio libratam atque delibratam stationem tenere, ne, dum vitare vitia, in contraria currat; ita in reformandis etiam erroneis opinionibus & sententiis, nimis quàm præceptus est via, ad puram negationem, adeoque oppositum potiùs, quam ad circumspectam quandam limitationem, & servata utiliore opinionis parte, inutiliorum conceptuum correctionem, atque meliorum suppeditationem.

Exhibet hujus rei specimen, subiectum quod tractamus



mus, nempe *Malum Hypochondriacum*, in sexu *feminino*.  
 Quantum hoc horroris & sollicitudinis incusserit anti-  
 quissimis Medicis, non solum post, sed probabiliter et-  
 iam antè *hippocratem*, utpote traditionum medicarum col-  
 lectorem potius quam auctorem, satis dilucescit ex eo,  
 quod vel *Uterum*, cui omnia hæc mala directè attribue-  
 bant, peculiare quoddam *vivens in vivente* reputarent,  
 quod *propria* plane suâ malitia atque dissidiis, reliqua vi-  
 talis œconomia tranquillitati, innumeris quasi occasio-  
 nibus insultet & vim faciat: aded, ut vel propterea *mulie-  
 ri omnem morbum bis*, seu duplicata quasi violentia, *obtin-  
 gere* idem statuerit *Hippocrates*.

Invaluit hinc & opinio ingens, & recepta prorsus ap-  
 pellatio *Hysterici Mali*, quod *feminino* sexui, quandoqui-  
 dem ille solus *utero* instructus est, absolute sit proprium.

Valet autem hic certè antiqua illa assertio *Poëtæ*:  
*Interdum populus rectum videt, est, ubi peccat.* Certè enim  
 plebs hinc inde, sine dubio ab immemoriali quoque tem-  
 pore, experientia magis in vigilans, & tam symptoma-  
 tum quam remediorum paritatem in utroque sexu ani-  
 madvertens, cum non haberet, quomodo tanquam *vir-  
 lis* cujusdam morbi nomen, *femineo* illi imponeret, adeo-  
 que civili æstimatione à *potiori* denominationem faceret:  
 fecit hanc à *frequentiori*, quod *fœminis* familiarius & fere  
 impetuosius affectus hic obtingat, & similibus *virorum* pa-  
 thematibus, antiqua simplicitate, *Hysterici Mali* nomen  
 similiter attribuit: aut ad minimum paulo verecundius,  
*remedia* *fœminarum* pathematibus hystericis efficaciter  
 subvenientia, viris etiam similia passis, nec sine sperato  
 successu, destinavit.

Quid aliqui etiam antiquiores, de vera indole, sede at-  
 que subjecto, *Hysterici Mali* multaverint, non vacat jam  
 allegare; sane verò, quod in solidum de *Hypochondriacâ* e-  
 jus



ius indole nihil rectè perspectum habuerint, argumento validissimo esse potest, quod ne quidem de *virilis* sexus *Hypochondriacis* passionibus, quicquam solidi dispexerint, atque comprehenderit. Unde quidem non deneganda est, majoris & præcipuæ circumspeditionis laus. *Highboro*, qui Malum etiam *Hystericum* ad *Hypochondriaci*, viris tandem asserti, censum revocandum, & *Hypochondriaci* potius, quam *utero*, malorum horum culpam imputandam esse, statuit, atque stabilivit.

Invenit etiam maturè, non solum Sectatores, sed, ut obnoxii sunt perègrinis nostrates, admiratores. Promulgata non solum atque propagata est hæc ejus, vel mille locis atque modis, sententia; sed addita etiam huic ferè absoluta illa restrictione, quod universum illud sæminarum, quondam absolute *Hystericum* creditum malum, a deo *purè & unicè* sit *Hypochondriacum*, ut etiam *uterus* nihil absolute commercii aut consortii cum hoc habeat, & nulla penitus ratione hic insimulari mereatur.

At verò cum longe manifestissimus sit ille consensus, si non immediate inter corpus, substantiam, & texturam, tamen situm, mutuam connexionem, & mutua officia, & *Venæ portæ* atque *viscerum* huic connexorum; imprimis autem luculenta prorsus sit *reciproca* illa *offensio*, quæ *utero à præcordiis, ventriculo*, inquam, & *primis viis*: & his reciproce ab illo, evenire solent; exemplo præsentissimorum vitiorum *fluxus Menstrui*, à *ventriculi* incondita oneratione; & vicissim, *ventriculi* perturbationum, à *conceptione, gestatione*, & aliis *Mensium*, imprimis repentinis suppressionibus: certè non ita crudè atque nude hic valet illa *exclusio* uteri, ab omni participatione horum pathematum, quin insignis mutuus *consensus*, adeoque non solum occasionum, sed etiam collusionum conspiratio, subesse compareat.

Cru-



Crudas quidem illas opiniones, de Uteri *locali translatione*, ascensione, volutatione, inflatione, succussatione, nemo approbaverit; imò ne quidem insignem aliquam communicationem sive *participationem* uteri, tanquam *subjecti*, cum reliquis *hypochondriacis* partibus, agnoverit: neque prorsus in plerisque hujusmodi pathematibus, *directam* aliquam efficaciam utero in Hypochondriaca illa viscera, assignaverit. Interim non magis justum quoque fuerit, omnem *occasionalis* causandi rationis energiam, utero abjudicare: cum potius è contra, non solum ex ante à citatis, sed etiam adhuc aliis congeneribus casibus, in sensus incurrat, quod potius *directa* quædam *procatbarfis*, ab utero ad *ventriculum* & *Hypochondria*, & ab his vicissim ad illum, locum habet.

De *Mensum* perturbationibus, earumque reciproca inter uterum & ventriculum atque *Hypochondria*, efficacia, diximus; addimus, quod *calibatus*, aut *viduitas*, animo utrinque, vel hic etiam prægressa *consuetudine*, *incontinentiore*, sed *libidinosi* cupiditatibus exagitato, non solum gravissimis in *feminino* sexu pathematibus *Hypochondriaco-Hystericis*, ante hac insolitis, portam aperiat, atque ansam præbeat: sed etiam in ipso prorsus *masculino* corpore, non solum ordinariis, sed insolentibus usque, *Hypochondriacorum* pathematum insultibus, velificetur.

Quamvis autem in viris, utiq; nulla *uteri* præsentia videatur nostroscopo potius derogare, quam illi subservire monuimus tamen jam superius, quod non tam ad *substantiam* & *corpus*, quam *consensus* mutuorum nexuum & officiorum *uteri* cum *Hypochondriis*, rationem respiciamus. Ubi quidem notissima etiam sunt in Praxi, consensualia illa pathemata, & *exacerbationum* gravissimarum, imo *novorum schematum*, productiones, quæ in *Hypochondria*, eorumque



reliquas simpliciores passiones, redundant & ingruunt, è *Fluoris albi* variis, & semper ferè gravibus, moribus atque motibus. Sicut autem *Fluorem album*, aliarum partium, quam *uterinarum* vitium esse, nemo forte dixerit; Ita ab hujus varia malitia, ante dictas *Mali Hypochondriaci* depravationes, ortum suum ducere; quotidiana utique experientia, nimio plus testatum facit.

Ante omnia tamen utique *Menstruæ*, & post hanc demum *spermatice* assuefactæ evacuationis, & spectabilis, & consideratu etiam de reliquo, dignissimus est nexus, consensus atque symbolismus cum *Hypochondriis*.

Et quanquam non negari debeat, quod aliqui inter *uterum* & *intestina* præsertim, consensus, imprimis nudorum magis *motuum* exacerbatorum, non ita ineptè à sola *vicinia* situs, & qualicunque generaliore *cohesionè* superficiali, peti possint; quale quid forte non absurde de *orminibus* illis, quæ *nothos dolores ad partum* vocant, conijcere liceret, non obtinet tamen hoc pariter in omnibus aliis, imprimis *materiæ* certum concursum involventibus horum generum affectibus, quod imprimis de *Mensibus*, *Lochiis*, *abortu*, & *Fluorè albo*, valet.

Rationem autem mutui hujus, & quasi *reciproci*, consensus inter *uterum* & *Hypochondriacas* partes, probabilissime omnium petendam esse ducimus, ab illa *communicati-  
one Vene Portæ* cum utero, per ramificationes *hemorrhoidales*. Sicut enim non exiguum hujus concursum esse, ad ipsam evacuationem *menstruam*, D.D. Præses, tum de *Mensibus* in genere, tum de *Insolitis Mensium vis*, pluribus deduxit; ita respondet huic nostro asserto tanto melius, ingens illa promptitudo, & præsentissima efficacia hujusmodi evacuationis *lesæ*, in *Hypochondria* & *præcordia*: & vicissim, in illam evacuationem, ex his partibus, ita præsentissime dimanans, par efficacia. Ut



Ut adeo, siquidem *subjectum*, & propinquiores, copiosiores etiam, & crassiores *materias*, seu causas antecedentes atque continentes, respicimus, omni modo plerumque *scæmineorum* pathematum circa has regiones, indoles, longe verius sit *Hypochondriaca*, quam *Hysterica*: interim tamen *uteri*, non solum qualiscunque, sed in variis casibus etiam eminens & eximius plane concursus, usque adeo excludi non possit, ut potius non solum pro veritate *Historica*, atque scientifica *Pathologica*, sed etiam pro indicatione *Therapeutica*, atque directione *Practica*, ignorari, aut fusque deque haberi, nullo modo neque debeat, neque possit.

CAPUT VIII.

De

MALI HYPOCHONDRIACO-  
HYSTERICI THERAPIA.

**Q**uantum inter se nexus habere debeat solers atque solida *Pathologia*, & rectè fundata & efficax *Therapia*, nemo certe ignorare potest, nisi qui perenni isti medicarum rerum, & imprimis veræ *Praxeos* artificialis cum cæca *Empiria*, confutioni, immori secum constituerit. Nos quidem nemini cuiquã quidquam hic imperamus; Scimus potius, quod otiosis ingeniiis meliora svadere irritum sit, solertibus supervacuum: Unde potius nude ac simpliciter propositio nostro insistemus, & *praxin* cum *Theoria*, solide connectere, nostri officii ducemus.

Ante omnia vero respectum habendum esse judicamus illarum causarum, & indolis earundem, quæ partim *materiam* affectui nostro subministrant, partim *modum*, seu formam, ut loquuntur, addunt & conciliant.



*Quantitas* sanguinis, etiam largissima, in se & absolute, non est ita periculosa, ut medicationem præsentaneam sub eximii cujusdam periculi urgente metu, necessariam faciat: quod demum locum habet; quando abundantia talis activioribus *commotionibus*, naturæ magis molesta reddita, aut in proximam noxii effectus potentiam deducta est; extra hunc enim statum, potest etiam methodo naturali, successui sperato magis directe respondente, efficacissime emendari, nempe *laborioso motu* corporis, quo affatim in serum *resolvatur*, & sub hoc schemate e corpore emittatur.

Ipsa quoque simplex *spissitudo* sanguinis, non ita facile & insigniter, in vivo corpore, & *motibus*, ad omnia medicaria obstacula vigilanter accomodari & exquiri solitis, verè & efficaciter nocet; uti quidem vulgus hominum, è crudis illis mechanicis corporeis præfigurationibus, non magis timere, quam pro certo agnoscere necesse habet.

Corrigitur autem non solum pari naturæ solita methodo, per proportionatum *motus progressivi* augmentum; sed etiam una eademque opera, quæ *quantitati* etiam excedenti consulitur, nempe laboriosius *motus* hujus regimen, *dinturnitate* tamen magis, & *repetitione*, quam repentino simultaneo impetu, absolvendum.

Ita non solum *duplex* incommodum, uno eodemque labore, ceure medio, commode tollitur; sed subest etiam in hac methodo illud insigne emolumentum, quod illa decenter instituta, nihil *præposterè* fieri possit; cum è contra, alia quacunque methodo, non solum tales scopi minime simul obtineri valeant; sed etiam facile ordo inverti possit: optima verò etiam serie servata, non solum facile, sed vix sane non, servitus aliqua, nempe *consuetudo* imposterum observanda, œconomia: corporis inducatur.

Nem-



Nempe antiquissimum illud esse debet, & memori mente tenendum, quod sanguinis *sinceri* notabiliter abundantis, absolute nulla immediata detur medicatio, præter unam *sinceram* pariter immediatam educationem, sive per *Hæmorrhagias*, sive per *Chirurgiam*.

*Mediate* vero datur evacuatio seu *imminutio* sanguinis si ille prius in *serum* dissolvatur. Hoc quis *Medicamentis* præstandum in se suspicere audeat, nisi quidem *Empiricis* credulitatibus, sine omni fundamento & experimento, indulgere placeat. Nota est illa *Paracelsi* traditio, de *Helleboro*, & *chamedri*, quod tantum sanguinis è corpore expurgent, quanto pondere exhibita fuerint; sed quis hisce naniis aures præbeat.

Non imminuta vero quantitate, & quidem excedente, quis in animum inducat sanguinem *densiorem* attenuare seu in majorem motum concitare. Certe enim circa talia negotia tempus est, *Mechanicas* proportionem attendere & expendere.

Frustra profecto sunt & à *mechanicis* conceptibus longissime absunt, qui simplicem sanguinis *densitatem*, pro tam insigni vitio *crasce* ejus, seu *mixtionis* intimioris, interpretantur, ut ille statim hinc intelligendy sit, exquisita vocis significatione, (quæ non nisi de intimiore ejus *mixtione* accipienda erat) *crassus*: cum potius *aggregationis* ejus hoc sit vitium, ut neq; sufficienter *dilutus*, neq; diluentibus aqueo-ferosis particulis, quantumvis fortè præsentibus, satis *interagitatus* existat. Sicut enim hominis exquisitissime sanisanguis, recentissime è vena ductus, inter levem refrigerationem *coagulatus*, absurdè diceretur statim in intima sua *mixtione* alteratus, imò corruptus esse; cum vel ancillulæ inter culinarias animalium macerationes hoc sciant, quod simplex *concessio* sanguinis, quoad refri-



gescit, hanc speciem corruptionis ejus, præoccupet ac emendet; ita optime mixtarum quoque sanguinearum molecularum, deficiente debita *concussione*, semi coagulalicens *complicatio* evenire potest circa necessariam sive prægressam, sive facile, aut proxime, subsecuturam *mixtionis* labefactionem. Sane verò non sine causa plus semel conquestus est D. D. Præses, quod negotium *mechanica* rationis & proportionis, circularis motus sanguinis, non condigne pensitatum in hunc usque diem, *intimio*rem æque atque *simplicio*rem hujus negotii efficaciam, ejusque solidam Theoriam, sterilem relinquat atque fallat, adeoque maximâ parte, quam habemus reliquam hujus rei notitiam, inutilem reddat.

Rebus ita constitutis, sanguinem ita *condensatum*, & sub ipsa hac condensatione adhuc superabundantem ante prægressam, inquam, abundantia *imminutionem*, *attenuare* velle, impossibile est factu, quin in eximiam *expansionem*, simul, imo ipso hoc actu atque facto, dilatatum velis. Hoc vero cum quando non solum incommodo, sed certe periculo, suscipiatur, si præcipue præcipitanter atque festinanter fiat, non rationi minus obvium est, quam experientia; quæ nempe etiam *repentinas* immodestas hujus generis attenuationis, per *corporis motus* præcipientes, non solum ad *repentinas angustias, anxietates*, imò *irruptiones* diffundi docet: sed etiam subinde *inflammatoris* periculosis infarctibus, & ancipitibus febrilibus violentiis, aut sane operosissimis laboribus, materiam præbere.

Inde sane est, quod tum *diaphoretica* & alexipharmaca *sulphurea*, tum fervidiora illa *olea destillata*, & horum nomine *Salia* illa *oleosa* Empirica, imprudenter ejusmodi hominibus exhibita, sane quam familiariter, gravibus turbis ansam præbeant.

Nota est illa Recentiorum curiositas, qua de *modo*  
ope-



*operandi* medicamentorum rationes reddere ita necessarium ducunt, ut quicquid in hoc genere deficiat, artis dignitati detractum esse interpretentur; nempe Empiriæ nudæ potius, quam Rationali medicinæ ita attribuendum: sed addendum est huic solertiæ, capacis iudicii conditio, & ante omnia modestia acquiescendi, ubi nihil superpetat dicere, quod silentio sit melius. Ita certè & multa haberemus melius, & plurima fortè non deterius dicta. Notæ sunt nænæ istæ, de efficacia *absorbente*, imo *fundente*, & *colliquante*, Martialium; sed profectò non solum à Chymia experimentalis, sed omnino ab ipsa *Experientia practica* alienissimæ: conspicua vero omnibus modis & exemplis efficacia *Martialium adstringens*, nusquam aliter quam solo *gradu* differens.

Hoc nempe respectu, *premissis*, imo *concurrentibus* iis, quibus opus est, nempe imminuentibus *quantitatem*, aut *commodè* attenuantibus *spissitudinem* humorum, imo æqualiorem illorum *distributionem* per universum corpus promoventibus, non solum *adhibita*, sed quod vel propterea ex nuda observatione commendant Empirici, *continuatæ* quoque, *diu*, sed *temperanter*, Martialia, conferunt Hypochondriacis; sed nullo alio effectu, quam ut *dissentiarum* venarum Mesaraicarum *restitutionem* in justum suum tonum, & *capacitatem* moderatiorem, *leni*, & *jugi* quidem ac perenni *adstrictione* præstent, ultra quem effectum aliud quicquam à *Martialibus* expectare inanis certè credulitatis speculatio est.

Quid D. D. Præses sentiat, & tam à priori quam posteriori deducat, de *Salium Volatilium* efficacia, in *visas & fibras*, immensum quantum majore, sub exiguis etiam dosibus, quam in *humores* eorumque *crasin*, notuna est. Confirmat illud autem in nostro etiam affectu quo-



quotidiana experientia, dum ab intempestivo, & nimio cumprimis, usu horum *Salium*, pariter atque à *martialium* simili abusu, pares effectus repente *angusti*, *anxii*, *tensorii*, *suffocativi* cooriuntur; quos licet ex male applicata observatione, & adhuc minus congrua speculatione, de effectu *Salium* volatilium, (nempe ingenti quantitate) in humores, & hujus rei fiendi modo, dispari ratione explicare laborent varii novarum rerum avidi: nihilominus vel mediocriter advertendo animum, satis liquido dilucescit, quod potius una eademque sit utrorumque horum medicamentorum agendi ratio, nempe viarum ad *constrictionem* stimulatoria efficacia: ubi interim *præposterè* viis inducta *strictura*, antequam contentus sanguis vel dimotus, vel mobilis adhuc sit, simplicissimè & directè prorsus omnia illa, quæ consequuntur, pathemata post sese trahere, uti potest, ita solet.

Diximus de iis, quibus opus est, *præmittendû*, ante *martialium* usum, æque atque *conjungendû*. Quæ hæc sint, vix aliunde luculentius innotescere potest, quam ex illis, quas ipsa experientia docuit non solum utiles, sed potius necessarias esse sub usu *martialium acidularum*, circumstantiis. Quamvis enim *acidule*, insigni illa, imo vix non enormi copia *dilutionis* polleant, non sufficit tamen hæc, ad præoccupandum variis modis turbulentam & inconditam illarum *adstrictoriam* efficaciam, nisi quantus tolerari de reliquo potest *motus corporis*, aut *vomibunda*, hypochondriorum frequens & valida concussio, vegetiori *distributioni* sanguinis per *Venam Portæ*, subveniat & satisfaciat: imò etiam, nisi ab illa heterogenea operatione *densionis* à copiosa ingurgitatione, & *constrictionis* à reliqua liquoris energia (unde etiam *medicus acidularum* usus, facilius lædit & gravius perturbat, quàm copiosus,) *excus- siones*



iones sequantur, juvandæ illæ sint, & provocandæ per alia medicamenta: Ita etiam aliorum *concentratorum martialium* nullus est consideratu atque effatu dignus effectus, nisi & sufficiens *dilutio*, & conveniens *absterfio*, & imprimis sufficiens corporis *motus*, rectè in subsidium vocetur, & quidem *motus* corporis vel *præmittatur*, vel omnino, convenienter tamen, *adjungatur* ipsi usus martialium tempori.

Certè, si in genere de remediis *Hypochondriaco* Malo adhibendis sermo sit habendus, magis eò inclinatur animus, ut ita affectis *diæticum* potius bonum regimen inculcetur, circa debitum *motuum*, & sufficientem *potum*; imo horum utrorumque *concursum* proportionatum: quam ut aliis, imprimis *multiplicibus*, medicamentis temerè onerentur.

Et hoc quidem in Malo adhuc *leniore*. Quo magis autem importunum hoc est, eo magis conducit patienti, si evacuationibus *sanguinis* justo tempore institutis, circa *æquinoctia* præsertim, adversus  *futuros* insultus sese præmuniat; adhibitis etiam deinde jam commendatis moderatoribus, sed assiduorum *motuum*, & largioris diluentis *potus* subsidiis,

His commodissimè *interponet* usum temperantium & *incidentium* Salinorum, ex *Nitro*, *arcano duplicato*, *Tartaro Tartarizate* &c. Subjunget tandem utiliter *Martialium*, & ultimo *Salium Volatilium* moderatissimum usum.

Talibus quidem commodè atque efficaciter satisfaciet, etiam de reliquo satis vehementi atque contumaci Malo; *directè* nempe, & in se considerato.

Variis autem Mali hujus tam incitamentis, quam *confectariis*, imo præ validis etiam *exacerbationibus*, magis quàm univèrsæ summæ ipsius, subvenitur commode & efficaciter, non tam directè per *evacuaciones*, sed magis per *lenitives* alvinas; ubi præcipuus est usus, & insignis efficacia



*Clysterum*: non quidem æque *evacuantium*, nedum *irritantium*, quam *mollientium* atque *spasticos* rigores declinantium: Cujusmodi præcipue sunt bene *pingves* ex oleis amygdalarum dulcium, olivarum non rancido, chamæmelino, anethino, sesamino &c. quarum quidem rerum efficacissimus imprimis est usus, in sensibili alvi *constrictione* & aliis *spasticis* hypochondriorum affectibus.

Hæc certe talia mala & incommoda, adhuc *simplicius*, quantumvis etiam latis *violenter* patientem exercentia, his paucis mediis, *methodice* sibi invicem subordinatis, & prudenter continuatis, efficaciter superantur. Quando vero non jam amplius *simplici*, sed *contumaci*, imo *rebelli*, *consuetudinalem* intelligo, protervia, atque pertinacia, ægrum jam jam possident; imprimis autem fundus mali in *debitarum*, aut *consuetarum*, excretionum *suppressione*, aut ad minimum *imminutione* ac *irregulari* successu, hæret: vel denique variis, *præposteris*, alienis, temerariis, *medicationibus*, in transversum actum schema hujus Mali, variis heteroclitis motuum moliminibus atque tumultibus evagatur: tunc quidem ipsi quoque huic *methodo* atque modulo remediorum, ad *summam* Mali, certius & eximius profusus est locus: turbulenta vero illa *typi* simplicioris perversio, ut aliàs magis ad ipsa *symptomata* potius, quam novam aliquam totius Mali *speciem*, pertinet; ita etiam rectissime subsidii quæ *symptomatibus* potius quam ipsi præcipuo malo, debentur, mitigari atque placari debent.

*Pathemata* vero Hypochondriaca, quæ debitam aliquam aut consuetam *evacuationem*, specialissime *Mensum* aut *Hæmorrhoidum*, depravatam, sequuntur: aut diu asseverata pertinaciora *Hæmorrhoidalia* molimina pro fundamento habent: sicut etiam, quæ minus quietam atque pla-



placida *cessationem* Mensium, *per aetatem*, insequuntur, nulla arte certius & constantius mitigantur, nedum ut extirpentur, quam *Evacuationibus* pristinis restitutis, aut aliis in istarum *vicem* prudenter substitutis: & insuper tota reliqua haecenus dicta *methodo*, tam *summae* mali, quam *accidentibus* ejus quadrante, non solum diligenter, sed etiam prudenter, subordinata: Nisi vero haec ita, & peritissimè quidem administrantur, certissime nihil sublevatur, nedum ut curretur, aut restituatur, æger. Provocamus ad experientiam quotidianam.

Certè quidem operæ forte pretium esset, ut DD. Præses, vel si quis alius harum rerum invidiam parvi pender, ad ipsius forte mentem, exqueretur Lemma illud, quod, si otium esset, enucleare sibi proposuerat: *De impostura Oppii*; Possit enim circa *Hypochondriacos* etiam affectus, sine dubio invenire, quod proposito inserviret. Si enim *impostura* non est, certe proprio titulo indiget illa medicatio, qua *exacerbatis*, & imprimis quidem *rebellibus* istis, & iterum, iterumque jam ita *inebriatis*, sit venia phrasi, *Hypochondriaco Menstrualibus*, & *Hæmorrhoidalibus* intentionibus, medicus quidem citò tutò & jucundè, nempè *hac vice*, restituti patientis, non *gloriam* magis, quam *mercedem* capessit: interim *proximo* quoquo tempore, *levissima* qualibet occasione repullulans Malum causis *materialibus* atq; corporalibus nihil imminutis, nedum expugnatis, ita rebelle, & paulatim indomitum atque stupidum reddit, ut neq; alia *justa methodo* amplius moveatur, neque hanc tantisper efficacem visam artem, imposterum quicquam moretur, aut illi obsequatur, nisi quidem *enormibus dosibus* (juxta hujus furfuris artificum dogma) tamdiu pertinax malum prosequantur, donec obstupescat. Ast vero e quo fonte post hac profluant *Hæctica*, viscerum *Scirrhi*, *Marasmi*, *Oedema*.



*mata, Hydrops, Paralyfes, Obliviones, Apoplexia, &c.* dispici-  
et, volente Deo, monita præprimis, solertior etiam atque  
doctior, posteritas.

Sicut autem *Evacuationibus* etiam *artificialibus*, impri-  
mis *Hæmorrhoidalium moliminum*, hujusmodi patientibus  
utilissimè succurritur; sicut ejus rei exemplum confide-  
rata dignissimum, ex *Hildano* allegatur Dissert. *de sangui-  
sugis*: ita placet verbum adhuc addere, de efficacia & usu  
remediorum *specificorum antihæmorrhoidalium*.

Asseverat D.D. Præses, quod non sine prægnanti cau-  
sa, aliquot, vulgo quidem etiam commentara, sed tanto  
magis experientiæ testimonio conspicua remedia, quæ  
*fluxum hæmorrhoidalem* citò & constanter *supprimunt*, in  
Dissertationibus de hac materia, nominare abstinerit;  
quoniam tam facilis ex illorum abusu *deterior* effectus,  
*correctioni* atque *restitutioni* quam pertinacissimè refrac-  
tarius, deprehendatur: confectaria verò post sese trahat  
ita incoercibilia, ut, præsertim ubi *prævaluerunt*, incurabi-  
lia etiam sint, & rectis passibus patientem ad tumulum,  
non tam comitentur, quam festinatis gressibus deducant.

Quamvis itaque in *junioribus*, aut sub reliqua etiam ma-  
ximâ *discretionè præmissis* ad summam rei facientibus, cum-  
primis *vicariis* sanguinis ventilationibus & exonerationi-  
bus, ad *præoccupanda prima* horum generum *molimina*, tum  
alia similia, tum, alibi etiam intemperanti abusu noty, *Lap-  
pis Manati*, non sine fructu *cæteris paribus*, adhiberi possint;  
Si tamen Medicus, diverforum respectum æque, atque  
consequenter effectuum imperitus, medicamento tali,  
tanquam *absoluto* quodam *specifico* indulgere, in animum  
inducat, næ efficiet ille apud *annosiores*, ante omnia vero  
excretionibus hisce jam alias *assuetos*, aut multis & violen-  
tis hujus scopi *moliminibus* jam pridem obnoxios, talem as-  
fectus



fectus hujus *exitum* atque ultimam faciem, cui neque ipse *Æsculapius*, imò *Phœbus Apollo* salutariter mederi possit. quod notandum. Cœterum *Millefolii* moderatum usum, imprimis pro effero *impetu* retundendo, cum prudentissima adeoque moderatissima, *Salium Volatilium* miscela, imprimis in *fœminarum* pathematibus, aliquando plus prodesse posse, quam vulgus hominum, speciosis titulis lustrare amantium crediderit, experientia testis esse potest.

Tandem, antequam dicendi finem faciamus, neminem mirari velimus, quod *Acidulis* nullam encomium scripserimus: non placuit rem actam agere, & certè longe magis freno, quam calcaribus indiget illa superstitio: nobis autem primò propter *exiguam*, & non raro prope nullum effectum, perditionem vero *temporis*, & veram in hoc salo jacturam *sumptuum*, remedium morbo gravior videtur. *Deterius* quidem habentes, si prudenti regimine *motuum*, & reliquæ dietæ, aquas illas ad aliquam utilitatem perducere possint, non dissuademus: qui verò subsidiis hujus motus, sive per nimium *virium* defectum, sive per *sumptuum*, ad *vectoræ* subsidiariam motitationem, destituuntur, ut ab his aquis sibi temperent suademus: Illis autem, qui *tenuiore* sunt & *aridiorè* corporis habitu, & biliarum ingurgitatione, loco pristinorum suorum incommodorum mitigationis, graviora incommoda, pericula, mortem, prælagimus.

Hæc pro instituti nostri ratione hac vice dixisse sufficiet. Divinæ vero Bonitati, tam pro præstita nobis huc usque paternâ sua gratia, devota mente obstrictos nos offerimus, quam pro perenni, imò æterna benedictione, venerabundi supplicamus.

No-



*Nobilissimo*  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.



**A**rtis Medicæ dignitatem licet nemo sit sanioris mentis compos, qui non agnoscat, mirari tamen liceret, cur, qui illam exercent, hinc inde adeo lubrico sint loco, ut constans de se bonum hominum iudicium adeo difficulter obtineant, ut potius, si rem ita, uti est, edisserere velimus, aduersa vota, & jam dubitatio de illorum arte, jam manifesta inculpatio & contemptus, plurimum præponderent.

Mirari inquam hæc liceret, nisi jam pridem ipse Hippocrates, & hanc rem, & causam ejus fatis luculenter designasset, nempe tam quorundam, qui nomen Medicorum præ sese ferunt, quam qui de illis leviter judicant, temeritatem. Si jam dispiciamus, unde hæc incommoda ortum trahant, profecto vel doctrinæ vitium id erit, vel discentium aut exercentium artem. Non autem loquor de monstris hominum, qui nihil omnium docti aut periti, non temeritate, sed nequitia in vitam hominum grassantur, agyræ, circumforanei, medicamentorum internorum vehementium abusibus, aut futilibus fucis atque imposturis simplices homines pecunia emungunt: Aliis certe, si hic officium facerent oppidani Magistratus, mediis atque methodis coercenti: Sed intelligo omnino tales, qui studio huic incubuerunt, & omni



omni modo artem didicisse, tam voluerunt, quam debuerunt. Hi quidem, nisi & ipsi præmaturè studium postpulerint, & rerum suarum perperam satagentes, messim ante sementem facere properent; aut morum, & reliquæ vitæ, censuram incurrere mereantur. Nisi inquam horum quid subsit, quod quidem non sub esse, hinc inde iterum iterumque optandum est, certè quocunque semper est vitium, non potest, nisi ipsi doctrinæ imputari. Sane verò meritò hoc fit hodierno tempore. Vbi tam conspicua sunt, non opinionum, sed omnino dogmatum disidia, ut non jam unus aut alter, peculiare quiddam, non sentire, sed docere atque propagare gestiât; sed fere jam valeat antiquum illud, quod capita, tot sensus. Neque jam diuersæ, sed contrariæ, opiniones, atque traditiones, vigent, atque assæclas, alibi ambient, alibi habeant. Jam cum nemo sit, quantumcunque etiam de reliquo stupidus, quin facile intelligat, quod non solum diuersæ sed tanto magis adversæ circa unam eandemque rem sententiæ non possint simul veræ existere; Contra factum maximè sit facile, ut è pluribus circa veritatem, utiq; non nisi unam, ita hallucinantibus, etiam nullò scopum rectè assequatur: fit inde facillime, dum ita non cogitant magis, quam iudicant, horum disfidiorum spectatores, ut per inductionem à magno numero ignorantiam veri sibi reciproce exprobrantium, tandem concludant homines, quod plane nemo sit, qui illud assequatur. Ego quidem merito hic meum facio illud Hieronymi ad Rusticum: Ego neminem nominabo, neque veteris comædiæ licentiâ certas personas eligam, atque perstringam; Illud autem in genere, bona spero cuiusvis pace dicere licebit, quod huic malo mederi, ita iustum esset, imò necessarium, ut huic officio omnia alia posthabere maxime deceret. Non opto hoc solum, & quantum usquam in me est vitium, eo mentem animumque omnem



mnem intendo; Sed adeo hic indulgeo bonæ spei, ut quoties aliquem conspicio, qui Arti Medicæ animum applicuit, justis ad hoc negotium subsidiis instructus, audeam huic rei bonum successum ominari, & Medicæ doctrinæ vindicias à suis opprobriis augurari. Epicuri libros ficulneo ligno exultasse dicitur Alexander Pseudomante; Philosophiam, si rectè capiatur, non usque quaque contemnendam, nullius pretii ligno; Ficulnea dogmata, quæ Medicinam dehonestant, non pari, sed certe meliore atque robustiore instrumento perfringere necesse fuerit: Alias enim docturus alios, quod ipse nesciat, nec intelligat merito audiet illum antiquum: *Ὅς αὐτὸς αὐτὴν ἔκ' ἐχθρῶν σάμῶν θέλει.*

Ut harum rerum reminiscar, tu facis, Nobilissime Domine Respondens, qui Medicum studium optimi intellectus atq; iudicii, perspicacis panoplia instructissimus aggressus, felicissimos hactenus in eo progressus fecisti, neque certe fluxis opinionibus & semper luidis similibus deludi te pateris, sed experientiæ rationem solertissime conjugens, certos gressus facere perdidicisti. Perge in hoc stadio fortiter pertendere, & quæ prope abest, exoptatam metam deprehendere; Ita non solum Tibi & Praxi Medicæ satisfacies: Sed poteris etiam ipsam harum rerum doctrinam studio Tuo atque opera illustrare, stabilire, restaurare. Ita quidem cum honestissimis Tuis moribus, solidam Eruditionem pulcherrimo connubio jungens, non expositus eris opprobriis illis, quæ diversa fecutos, quotidie confundunt, ut scientiæ inopes & prudentiæ, in sola impudentia effugium quærere cogantur. Imo non magis scientiæ quam bonæ conscientiæ sic innixus, Benedictionem etiam Divinam experieris, certissimam & largissimam, cui Te Tuosque ex animo commendo. Dab. è Musæo Halis Magdeb.

XVI. Jul. 1703.



Ua 5376<sup>c</sup>

ULB Halle

3


001 500 18X



sb.











DISSERTATIO MEDICA,  
DE

**H Y P O C H O N -  
D R I A C O - H Y S T E -  
R I C O M A L O ,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**D N . F R I D E R I C O  
W I L H E L M O ,**

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE,

&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO

**D N . G E O R G I I E R N E S T I S T A H L ,**

MED. D. ET PROFESSORIS PUBLICI ORDINARIJ,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni ob-*

*servantiæ cultu prosequendi,*

Publice ventilandam proponit

**M I C H A E L A L B E R T I ,**

Noribergensis

*Ad d. April. MDCC. III.*

Horis antemeridianis.

---

REGUSA HALAE MAGDEBURGICAE,  
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1708.